

INES
DE






1. Heben Treit / Joh: pauli / Diss. de forma Regiminis in Ecclesia, 1697. jend.
2. Kämpffer / petri Chr: / Diss. de Litteris Vocalibus et Accentibus in Scriptura veteris Testamenti Hebraicis. Rostochi
3. Knappij / Joh: Georgij / Diss. 1792 de conjunctionis Christianorum Natura, Hald 1792
4. König / Joh: frid: / Diss. de gratuita Hominis peccatoris coram Deo justificatione, Gryphirwaldie 1698.
5. Ludovici / Chr: / Diss. de spiritu Mosus in Lxx Seniores posito, Lipsie
6. Mas: / Hect: Gett: / Epistola, ad Barth: Botsaccum, Hafnæ 1697.
7. Michaelis / Chr: Bened: / Diss. de Salomonis ad Lotetiam exhortantibus Hald 1729.

- 8 Müller (Henr.) Diff. De pacto Dei cum
Homine Regali et Evangelico, Rostochi
9. _____ Diff. De Coelibatu ¹⁶⁷⁴ Clericorum,
Rostochi ¹⁶⁷⁵
10. _____ Catholicismus Meriti Christi,
Rostochi
11. _____ Diff. De Resurrectione Mortuorum,
Rostochi 1673.
12. Rüdiger s. Joh. Barthi Diff. De Radi-
catione fidelium in Christo Gissa 1722.
13. Schmidt s. Joach. Frid. Diff. De Deo ti-
mendo et Rege honorando Stargardia
14. _____ Diff. De Comitibus Romanorum,
Stargardia
15. Schmidt s. Seb. Diff. De phrasi Scriptu-
ra: Deletiois e libro Vita, Argent.
¹⁶⁷⁸
16. Schomeri s. Justi Christoph. Diff. De
Separatismo, Rostochi 1686.
17. Stemleri s. Christoph. Gotth. Diff. De
Deo Abrahamam in monte praesuro,
Dresda 1738.
18. Müller s. Chr. Frid. Diff. De perfora-
tione Manuum Christi in Cruce, Dresda
¹⁷⁹¹
19. Theologiae pura ac pacifica vera
ac solida fundamenta
20. Walch s. Joh. Georg. Diff. De Morte
et Resurrectione fidelium cum Christo
Jena 1728

21. Walch: Joh: Georgij / Diss. de fide Infantum
in utero, Jenæ 1727
22. Werner: s. Frid. / Diss. de Vana Spe
Regni chiliastici, Lipsiæ 1723
23. Wernsdorff: s. Gottl. / Diss. de jure
Magistratus civilis circa Vocationem
Ecclesie Ministrorum, Wittenb. 1717.
24. Willemberg: s. Sam. Frid. / Diss. de
officio Ministri Ecclesie erga
Condemnatum ad Mortem, Gedani
1718.
25. Academiæ Fredericianae programma
in festum paschale, Halæ 1792.
26. _____
in festum pentecostæ, Halæ 1792
27. _____
in festum natale Domini, Halæ
1792.
28. Langens: s. Joach. (annus) _____
über die _____
Cassel 1792.



in
y.
A
12
e



U. S. Sachsen-Anhalt
Landesbibliothek
Cottbus



Q. D. B. V.

DISSERTATIO CRITICA,
 DE
**LITTERIS, VOCALIBVS
 ET ACCENTIBVS
 IN SCRIPTVRA VETERIS
 TESTAMENTI HEBRAICIS,**

QVAM,
 FAVENTE NVMINIS AETERNI GRATIA

ET
 PRAEVIO AMPLISSIMAE FACVLTATIS PHILOSOPHICAE CONSENSV,
 PRAESIDE
 VIRO PLVRIMVM REVERENDO, EXCELLENTISSIMO
 ATQVE AMPLISSIMO

DN. M. PETRO CHRISTIANO

Kämpffer,

SACRAE THEOLOGIAE CANDIDATO DIGNISSIMO, PRIMAE
 PHILOSOPHIAE PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO FAMIGERA-
 TISSIMO, AD AEDEM MARIAE DIACONO VIGILAN-
 TISSIMO,

PATRONO ET PRAECEPTORE NVMOQVAM NON DEVENERANDO,
 IN ALMA VARNO-BALTHICA

A. R. S. MDCCXLII. DIE XX. IVNII
 ORDINE CIRCVLARI

HORIS LOCOQVE CONSVETIS
 PVBLICO EXAMINI SVBIICIET
 AVCTOR

ANDREAS CHRISTIANVS Petersen, Rost.

SACRARVM LITTERARVM ET PHILOSOPHIAE CVLTOR,


STANNO ADLERIANO. *h*



DEO,
PATRIAE,
PATRONIS
ATQVE
PARENTIBVS.

ANDREAS CHRISTIANVS
SACRARVM LITTERARVM ET PHILOSOPHIAE CALTOD.
STANNO ADLEBANO.





PRAEFATIO.



Quantum & praesidii Ecclesiae Euangelico - Lutheranae, & perspicuitatis veritati Religionis Christianae a linguae hebraeae cultura expectandum, vt longo verborum ambitu explicemus, superfluum potius putamus, quam iucundum. Adfunt enim, quae hac de re testantur tot praeclarissima Virorum, in rerum sacrarum scientia & linguarum Scripturae sacrae originalium studio versatissimorum, effata. Prodeat in medium testis, omni exceptione maior,

A

Mega-

Megalander noster LVTHERVS, qui ad linguam hebraicam sedulo excolendam in *Commentario in Psalmum XLV. Tomo III. Jen. Lat. f. 444.* admonens, graphice admodum pronunciat: *Saepe monui, ut hebraeam linguam disceretis, nec eam ita negligeretis. Etsi enim eius linguae nullus alius esset usus, tamen pro gratiarum actione discenda erat, quod pars quaedam religionis & cultus DEI sit, eam linguam docere vel discere, quae sola, quidquid umquam diuini est, docet. Auditur enim in ea DEVS loqui, audiuntur Sancti inuocantes & maximas res gerentes, ut studium, quod in hanc linguam discendam collocatur, Missa quaedam, seu cultus DEI merito vocari posset. Quare serio vos hortor, ne eam negligatis. Periculum enim est, ne DEVS, hac ingratitude offensus, priuet nos non solum cognitione huius sanctae linguae, sed & Graecae, Latinae & totius religionis. Quam facile enim ei est excitare barbarum aliquem populum, ut hae linguae una intereant? Sed praeterquam quod pars cultus diuini est hoc studium, continet etiam maximam utilitatem. Si enim aliqui futuri sunt Theologi, sicut necesse est, neque enim omnes Iura aut Medicinam discemus, oportet eos esse munitos contra Papam, & aliud odiosum hominum vulgus, qui, cum unam hebraeam vocem sonare didicerunt, statim putant, se Magistros huius sanctae linguae; ibi nisi eam nos tenuerimus, tamquam asinis illudent & insultabunt: Si autem nos quoque muniti fuerimus cognitione huius linguae, poterimus eis imprudens os obstruere; Sic enim diabolo & eius ministris resistendum est. Arbitror autem nos habituras religionis nostrae hostes Hispanos, Gallos, Italos & Turcas etiam,*
ibi

ibi certe cognitione hebraeae linguae opus erit; Scio enim, quantum mihi contra hostes meos profuerit; quare hac quantulacunque cognitione infinitis aureorum millibus carere polim. Et vos quoque dabit operam, qui aliquando docebitis religionem, ut hanc quoque linguam discatis, si non pecora campi & indoctum vulgus haberi vultis, quod editis Germanicis libellis adiutum utcumque Evangelia Dominicalia & Catechismum docet. Sed opus est ducibus quibusdam doctrinae; & oportet habere pugnatores, qui stent in acie contra aliarum nationum & linguarum homines, qui sunt Doctores, Iudices & Magistri in hac lingua. Eodem incaluit spiritu felicissimus quondam in hac alma Varno-Balthica Scripturae interpres, IO. TARNOVIVS, in Praefatione, Exercitationibus Evangel. praemissa, cui iustus dolor ob tam iniustum linguae hebraeae apud plurimos neglectum, gravissimas querelas expressit. Alia vt silentio praetereamus l. c. Sentio, inquit, gravius haec a me dici, quam fortean pro hac mea aetate. Verum, cum (proh dolor!) nimis verum sit, quod queror, & notius, quam ut negari queat, quam turpiter hodie a plerisque Theologiae studiosis, & aliis nonnullis, qui eidem dant operam, fontes ipsi, immo tota negligantur Biblia, iustus in re tam ardua zelus haec mihi facile potuit exprimere. Hinc ex ipsis Pontificiis, qui rectius sapere didicerunt, linguae hebraeae cognitioni magnum statuunt pretium. Celebris ille ALPHONSVS MENDOZA, Augustinianus, in Quaest. Positiu. Qu. X. aperte fatetur, eum non posse vere dici Theologum, qui in litteris hebraicis non sit mediocriter institutus. Et BANNES, Domini-

canus ille, si quis alius, notissimus, non erubescit confiteri, se in extrema adhuc senectute ebraeam linguam didicisse, ne amplius ab haereticis rideretur. Quae quum ita sint, modo laudatus IO. TARNOVIVS in praefatione iam citata non sine causa multorum Lutheranorum negligentiam his adculat verbis: *Pontificii vigilant tandem, vigilant Photiniani, dum omnes Biblia sacra in fontibus perhistrant. -- Nos vero maximam partem dormimus securi, nec fontes multum curamus, solis versuibus delectati.* Ex istiusmodi linguarum Sacrae Scripturae originalium, in primis linguae hebraeae neglectu in Ecclesia nostra tot in vertendo errores, tot in explicando difficultates & dudum ortae sunt, & in hunc vsque diem manent. Quapropter etiam grauissimi Theologi id sibi negotii datum esse existimarunt, vt ad linguae hebraeae cognitionem serio cohortarentur eos, qui ad diuinarum rerum intelligentiam se animum adplicare profitentur. Huc spectant PHILIPPI MELANCHTHONIS Orationes duae de *Studiis linguae hebraeae*, quae Selectarum eiusdem Declamationum, Argentorati Anno 1566. editarum, Tomo IV. p. 424. seqq. exhibentur: SALOMONIS GLASSII *Sermo Auspicalis Cal. Nov. anno 1621. habitus de illo Themate: Theologo futuro ita necessariam esse Hebraeae linguae cognitionem, vt ea vel plane non, vel difficulter carere possit*, quae Oratio Philologiae Sacrae, aureo eiusdem operi, Lib. II. Part. II. p. m. 507. seqq. inserta est: IOANNIS FECHTII *Noctes Christianae, Exercitatione I. de vsu linguae Sanctae & Primae Philosophiae.* Ad eundem

dem quoque scopum tendit JEREMIAE FRIDERICI *Dissertatio de Caussis linguae hebraeae, abs non paucis hucusque neglectae, & mediis, ad istas tollendas adhibendis.* Nec silentio hic praetermittendus est SIXTINVS AMAMA, quamuis ἀλλοφύλος, cuius *supplex Paraenesis ad Synodos, Episcopos & Superintendentes Ecclesiarum Protestantium de excitandis S. S. linguarum studiis*, hanc causam egregie perorat. Dolendum modo, furdis narrari fabulam; dolendum, nostris quoque temporibus in Ecclesia Evangelico-Lutherana multos ita esse securos, vt linguas librorum sacrorum originales negligant, vt, dum vident, hostes Ecclesiae purioris sese nostris armare armis, in vtramque tamen aurem securi dormiant. Maxima certe ingratitude, dum oblata donorum DEI facultas adeo contemnitur, & quidem, quod peccatum auget, in eiusmodi locis, vbi dona gratiae DEI exposita sunt, & sic in promptu, vt etiam fastidientibus obrudantur: quae sunt verba ANDREAE MVSCVLI in locis Communibus, titulo: de *Linguis Scripturae*.

Operae pretium itaque me facturum esse autumo, dum in argumento quodam, ad linguam V. T. originalem pertinente, ingenii vires periclitari instituo. Placet autem eam tangere controuersiam, quae de Hebraeorum Litteris atque Punctis in sacro V. T. Codice iam olim agitata est, nec hodie sepulta. Quod dum facio, id praestare conabor, vt probem, litteras quadratas, in Scriptura V. T. hebraica occurrentes,

esse primigenias, & puncta tam Vocalium, quam Accentuum originem omnino diuinam habere. In ipsa autem thesi corroboranda praesertim subsistam, praetermissis obiectionum, quae ab aduersariis formari solent, solutionibus, qui quippe labor peculiarem quamdam lucubrationem postulare videtur. Tenuitatis meae probe conscius non ignoro, omni licet opera, quam humeri mei ferre non recusant, adhibita, illud tamen tritum Talmudicorum: צללה במים אדירים והעלית חרס בדרך *h. e. Demisisti te in profundum aquarum multarum, & educis testam manu tua*, si in alium quempiam, certe in me quadrare. Nihil tamen fecius, stimulante me iusto quodam vindicandae huius, cognitu tam necessariae veritatis, ardore, singulari candidi lectoris beneuolentia & aequo iudicio confisus, ipsum laborem adgredior.

Faxit Summus rerum arbiter, DEVS, vt hoc, quod suscipio, negotium in sanctissimi sui nominis gloriam & veritatis confirmationem vergat.



TRA-

TRACTATIO.

CAPVT. I.

DE

LITTERIS HEBRAEORVM.

§. I.

Controuersia de litterarum sacrarum, in libris V. T. Canonicis adhibitarum, caractere primigenio, multorum ingenia iam dudum exercuit. Hanc autem litteram dum nostram quoque facere apud animam constituimus, statum controuersiae rite formandum esse, & re nostra existimamus. Nolumus iam in eam inquirere quaestionem: Vtrum lingua ebraeorum sit omnium prima? Quam controuersiam erudite examinavit IOANNES BVXTORFFIUS, Filius, in Dissertatione de *Linguae Hebraeae Origine & Antiquitate*, quae prima est in Fasciculo Dissertationum Philologico-Theologicarum, ubi p. 21. *sqq.* adstruit, primam & antiquissimam mundi linguam, qua DEVS cum primis nostris parentibus in Paradiso locutus est, fuisse linguam Hebraeam. Eandem quoque sententiam more suo est, solide propugnauit Summe Rev. Dn. VAL. ERNEST. LOESCHERVS, egregium Ecclesiae Euangelico-Lutheranae ornamentum, in Tractatu illo edecumato de *caussis linguae Ebraeae Lib. I. Cap. III. p. 16. sqq.* cui hoc in argumento ὁμόψηφος est. Cel. IO. GOTTLÖB. CARPZOVIVS

VIVS in *Critica Sacra Part. I. Cap. V. Sect. II. §. IV. Sqq. p. 174. Sqq.* Nec de eo iam disputabimus: Vtrum inuentio litterarum ad Adamum, an vero ad Mosen, an ad alios transferenda sit? In hoc argumento qui exerceri cupiunt, adeant V. C. CHRISTOPHORI AVGVSTI HEVMANNI *Acta Philosophorum Part. V. Cap. I. §. 23. 24.* adstruentis, scribendi artem eo temporis interuallo, quo posteri Patriarchae Iacobi in Aegypto sunt versati, esse inuentam. Porro quoque non quaerimus: Vtrum ductus litterarum Hebraicarum accidentalis in *αὐτογράφοις* vetustioribus quodammodo, diuersus sit ab eo, quem hodie in Codicibus, manu exaratis, vel typographorum arte impressis conspicimus. Eiusmodi enim diuersitas diuersis etiam in typis frequentissime deprehenditur. Notanda quoque sunt, quae GVILIELMVS POSTELLVS, in antiquitatibus hebraicis versatissimus, Libro de *Originibus Cap. VII. IX. & XVII. de Hetruriae Origine, Religione, Institutis & Moribus p. 113. Sqq. & p. 246. Sqq.* de duplici Hebraeorum caractere memorat. Adfirmat quippe, duplicem quondam characterem apud Hebraeos in vsu fuisse, alterum profanum, qui in priuata praesertim & profana, scriptione obtinuerit, &, qui hodiernus sit Samaritanus, alterum sacrationem, qui hodiernus sit Hebraeus. Addit idem POSTELLVS, vtrumque characterem in describenda lege faepe esse adhibitum, ita tamen, vt plurima exemplaria communiori isto, hoc est, Samaritano caractere, fuerint descripta, & cum vniuerso populo Israelitico communicata; pauciora autem caractere sanctiori, id est, hebraeo exarata, & tam tribui

bui Leui, quam Collegio LXXII. Seniorum tradita, vt lex sanctiori scripta caractere etiam sanctioribus in locis adseruaretur. Hoc sensu etiam quodammodo admitti potest, quod RICH. SIMONIVS, *Lib. I. Hist. Crit. V. T. p. 74.* scribit: *Discrimen Iudaicorum & Samaritanorum caracterum illud est: Scilicet Iudaici simpliciores sunt, & magis quadrati; Samaritani vero quosdam apices aut uncas acuminatos habent.* De eo autem iam instituitur quaestio: Vtrum character litterarum quadratus, quod hodie Codices V. T. ebraei exarati leguntur, quoad substantiam suam idem sit cum eo, quo Moses atque Prophetae libros suos in *αυτογράφοις* consignarunt? An vero hodierna litterarum figura quadrata demum post solutam captiuitatem Babylonicam ab Esdra eiusque collegis in describendis libris sacris sit adhibita, priori caractere repudiato & Samaritanis relicto? Ita formato controuersiae statu prius quaestionis membrum adfirmamus, posterius autem negamus. Vt autem eo melius de hac controuersia iudicari queat, operae pretium erit cognoscere sententiam eorum, qui eiusmodi litterarum mutationem post captiuitatem Babylonicam factam esse contendunt. Liceat nobis ea, quae hinc commemoranda esse putamus, efferre verbis Viri etiam post fata Celeberrimi, DN IOANNIS FRANCISCI BVDDEI, qui in *Hist. Eccles. Vet. Test. Tom. II. Per. II. Sect. VI. ad S. XII. p. m. 804. sq.* Sunt, inquit, viri longe doctissimi, qui existimant, litterarum characteres, quos hodie Samaritanos vocamus, eos ipsos esse, quibus Moses & Prophetae in libris suis conscribendis vsi sunt; immo quibus ipse Abrahamus vsus

B

sit,

fit, qui, cum relicta patria in Cananaeam se conferret, Cananaeorum seu Phoenicum etiam linguam, & cum ea litterarum, quae apud Phoenices in usu erant, formas assumerit. Et his quidem cum Israëlitaes omnes usque ad captiuitatem Babylonicam usi sint, Iudaeos in captiuitate ista constitutos, sensim eorum characterum, qui apud Chaldaeos in usu erant, quine hodie & Assyriaci vocari solent, recepisse consuetudinem; hincque adeo Esdram, cum soluta captiuitate Babylonica patriis sedibus redditi essent, curasse, ut libri sacri characterem Chaldaeo, seu Assyriaco, ceu notiori Iudaeis scriberentur, cum interea apud Samaritanos per Israëlitas ex Assyriaca captiuitate reduces, antiqui isti & genuini characteres conseruarentur, qui ideo Samaritanorum retulerint nomen. Primus in hanc sententiam ex Iudaeis ingressus dicitur IOSEPHVS ALBO, qui saeculo decimo quinto floruit, in libro Ikkarim, quem tamen ex eadem gente pauci, inter reliquos autem ELIAS LEVITA, fuerint secuti. Ex Christianis eandem amplexus est sententiam PETRVS GALATINVS, de arcan. cathol. veritat. Lib. I. cap. V. quem ARIAS MONTANVS, SIXTVS SENENSIS, GENEBRARDVS, VILLALPANDVS alique, magno secuti sunt numero. Cuiusque ad labefactandam Codicis ebraei auctoritatem plurimum faciat, mirum non est, eos, qui Romanae ecclesiae sacris addicti sunt, eam auide arripuisse, quod adeo praeter antea laudatos, & ROBERTVS BELLARMINVS fecit Lib. II. de verbo Dei cap. I. itemque EVSEBIVS NIEREMBERGIVS, origin. script. sac. Lib. IV. cap. XVI. & Lib. XI. cap. X. & ex recentioribus PETRVS DANIEL HVETIVS, demonstrat. evang. prop. IV. p. 250. RICHARDVS SIMON, Hist. Crit. Vet. Testam. Lib. I. Cap. IV. §. II. p. 133. sqq. ne quid

quid nunc de IO. MORINO in exercit. Samaritan. aliisque, dicam.
 Ex Criticorum gente IVSTVS IOSEPHVS SCALIGER eandem
 amplexus est atque defendit sententiam, in animaduersion. ad Chron.
 Eusebii p. 62. & 305. & de emend. temp. lib. VII. p. 685. in
 epist. lib. III. epist. CCXLII. qui & auctoritate sua effecit, ut alii
 ex eodem ordine certatim eum sequerentur; quod & ISAACVM
 CASAVBONVM fecisse constat, in exercitat. ad annales Baro-
 nii, & HVGONEM GROTIUM, in notis ad lib. de veritate
 relig. christ. lib. I. cap. XV. GERHARDVM IOANNEM VOS-
 SIVM lib. I. Aristarchi Cap. IX. & XXXI. SAM. BOCHAR-
 TVM, in Canaan. Lib. II. cap. I. BRIANVM WALTONVM,
 tract. de fidelis p. 36. 37. item prolegom. III. n. 29. sqq. CASP.
 WASERVM, de nummis lib. II. cap. III. BART. MAYERVM,
 Philol. Sacr. Part. I. pag. 91. Cum primis autem LVDOVICVS
 CAPPELLVS hanc suo adprobavit calculo sententiam, in arcan.
 punctat. lib. I. cap. VI. qui & deinde in diatribe de litteris E-
 braeorum eandem contra IO. BVXTORFFIVM propugnauit. Sed
 nec HERMANNVS CONRINGIVS ab ea adeo alienus est, in
 paradoxis de nummis hebraeorum, quae in fascic. II. opusculo-
 rum ad historiam ac philologiam sacram spectantium, recusa
 prostant, cap. VI. p. 152. sqq.

S. II.

His iam praefructis, id nobis erit agendum, ut probe-
 mus, characterem litterarum Ebraicarum quadratum, qui
 hodie in sacro Codice V. T. in vsu est, quoad substantiam
 esse eundem, quo Moses & Prophetae in monumentis suis,
 ex diuina inspiratione conscriptis, vsi sunt, adeoque fen-

tentiam de mutatione litterarum, ab Esdra eiusque Collegis Suscepta, fundamento esse destitutam. In rebus autem facti dum testimoniis fide dignis multum inesse ponderis merito existimatur, hinc etiam iuuabit quosdam excitare testes fide dignos, qui adstruunt, nullam litterarum mutationem in libris sacris describendis ab Esdra eiusque sociis esse institutam, sed veteres eosque primigenios characteres ab illis in describendo sacro Codice adhibitos esse. Nubem testimonium in hoc argumento sistit IO. BVXTORFFIUS, Fil. in Dissertatione de *litterarum hebraicarum genuina Antiquitate* (quae est quarta in fasciculo Dissertationum Philologico-Theologicarum) p. 171. sqq. ubi, testimonia veterum Iudaeorum repetens (1) ad Doctores Mischnicos, Auctores Mischnae, seu Textus Talmudici, quos תנאים, *Tannaim*, vocant; (2) ad Gemaricos, Auctores Gemarae seu Complementi Talmudici, quos אמוראים, *Amoraim*, adpellant; (3) ad Auctores additionum Talmudicarum; (4) ad Hebraeorum Doctores, quos גאונים, *Geonim*, h. e. Excellentes & Magnificos vocant; (5) ad Cabbalistas, in litteris ebraicis multa mysteria quaerentes, prouocat. Iudaeorum recentiorum testimonia porro in medium proferens laudatus modo BVXTORFFIUS aperte fatetur, quod recentiores Iudaei magno consensu adserant, characterem litterarum ebraicarum quadratum esse antiquissimum, & ab ipso Mose adhibitum, & quod sibi inter Iudaeos recentiores nemo, nisi vnus IOSEPHVS ALBO visus sit, qui expresse atque diserte sententiam de nouitate litterarum hebraica-

braicarum suscepit defendendam. Audiemus iam quaedam testimonia. *RABBI IACOB BAR SCHELOMOH BEN CHAVIF* in libro עין ישראל, *En Israël*, ita scribit: שנה הכתב אשר אנחנו כותבין בו היום ספר תורה וכל דבר שבקדושה הנקרא כתב אשורי הוא עצמו היה הכתב שבלוחות העדות ה' וס' המונח מצד ארון ברית ה' h. e. *Quod ista Scriptura, qua nos hodie scribimus librum legis, & omnia Sacra, Scriptura Aschuri dicta, sit illa ipsa Scriptura, quae fuit in tabulis testimonii, & in libro legis, reposito ad larus arcae foederis Domini.* Et haec quoque sententia, quod nempe in describendis libris sacris nulla litterarum facta sit mutatio, comprehendi videtur sub octavo Articulo fidei Iudaeorum, qua unusquisque Iudaeus profiteretur שהתורה שבידינו היום היא הנהוגה למשה בהרו סיני כלל i. e. *haec lex, quae hodie est in manibus nostris, est ea ipsa, quae Mose in monte Sinai data est, sine ulla prorsus mutatione.* Vid. *ABARBANELIS Praefatio In IEREMIAM.* Nec est, cur Iudaeorum testimonia in hoc argumento minoris esse momenti credamus. Constat enim, populum Iudaicum, cui tradita erant τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ Rom. III. 2. tenacissimum fuisse eorum, quae in Scriptura à DEO sibi tradita esse cognoverat.

S. III.

Silentio etiam praetermittere non possumus quaedam Christianorum testimonia, quae pro sententia nostra pugnant. Ad antiquos ecclesiae Patres quod attinet, mirum non est, apud pluri-

plurimos eorundem altum de hac controuersia esse silentium. Perpauci etenim inter illos fuerunt, qui linguae ebraeae & rerum ebraicarum sufficientem habuerunt notitiam. Ipsum AVGVSTINVM, magnum isto aeuo ecclesiae lumen, linguae hebraicae imperitissimum fuisse, discimus ex eius *Confess. Lib. XI. Cap. III. & Lib. XV. de Ciuit. Dei Cap. XVII.* Recentioribus autem saeculis magno agmine adsunt testimonia Christianorum, eorumque in lingua hebraica versatissimorum, qui nullam litterarum ebraicarum in Codice sacro mutationem, soluta captiuitate Babylonica, factam esse, adfirmant. Cite- tur testis celeberrimus quondam Mirandulae Comes, IOAN- NES PICVS, in *Epistola ad Iguotum quemdam scribens: - - -*
Vt ad ea veniam, quae de Chaldaeorum Hebraeorumque litteris desi-
deras, percontatus ego sum saepe Mithridatem & multos Hebraeos de
his, quae apud Hieronymum in Galeato Prologo leguntur, ubi ille scri-
bit: Eisdem fuisse olim Samaritanorum & Hebraeorum cha-
racteres: Esdram autem, post instaurationem Templi sub
Zorobabel alias adinuenisse litteras, quae nunc sunt in vsu;
nescio se huius mutationis omnes praedicant, & (quod est maius) pro
comperto habent, iisdem, quibus nunc utimur, in Hebraica litteratura,
apicibus, vsos esse Moesen, & Patriarchas antiquos omnes. Cui sen-
sentiae, ut nunc mihi subuenit, fidem maximam facit scientia Cabalae,
cuius scriptores, qui cum Esdra in Synodo fuerunt, sub ipsis caracte-
ribus & figuris litterarum, quibus nunc legem descriptam habemus,
dissimulasse Moesen diuina Mysteria, & volunt & probant, quod esse nul-
lo modo posset, si aliis Moeses ab his, quibus nunc utimur, caractere-
bus

bus usus fuisset. Nec rationibus deftituitur testimonium illud, quod THEODORVS BIBLIANDER, Ecclesiae pariter ac Scholae Tigurinae lumen quondam celeberrimum, in suo Commentario de optimo dicendi genere Grammaticorum Hebraicorum exhibet, qui p. 76. 77. opinionem, ac si mutatio litterarum hebraicarum ab Esdra facta esset, reiiciens, ita pergit: Tantum mihi velim considerent eius opinionis adstipulatores, quomodo potuerit Esdras mutare Scripturam in populo Dei, qua Deus legem suis digitis exarauerat, aut quomodo voluerit, qui non patitur, vt pueri loquantur Asdodicâ, & Amoniticâ, & Moabiticâ dialecto: & paucis interiectis: Non competit igitur, inquit, vel Esdrae, vel Nehemiae, vel aliis hominibus sanctissimis eius temporis, quod characteres patriae linguae, aut sermonem aboleri voluerint.

§. IV.

Ne autem sola aliorum auctoritate, sed potius rationibus pugnemus, ad alia iam progredimur. Quod si statum populi Iudaici, & maximam eius per deportationes dispersionem consideramus, vix ac ne vix quidem fieri potuit, vt post captiuitatem Babylonicam eiusmodi litterarum hebraicarum mutatio ab Esdra eiusque affectis fusciperetur ac perageretur, non reclamantibus aliis Iudaeis, qui exemplaria, caractere primaeuo exarata, iam dudum habebant, & tam intra domesticos parietes, quam in publicis conuentibus, cultus diuini gratia institutis, vsurpabant. Robur huius argumenti vt eo melius patescat, proferam illud verbis Cel. Dn. IO. GOTTLÖB
CAR-

CARPZOVII, Praefulis apud Lubecenses Vigilantissimi atque Meritissimi, qui in *Critica Sacra Part. I. Cap. V. Sect. VI. §. II. p. 231.* graphice admodum: *Per Assyriacam*, inquit, *captiuitatem ingens Iudaicae gentis colonia in Assyriam & Mediam, per Babylonicam Nebucadnezaris haud minor gentis turba in Babyloniā & Persiam, per reliquiarum gentis fugam II. Reg. XXV. 26. Ier. XLI. 1. sqq. XLIII. 6. insignis copia in Aegyptum delata, indeque porro longe lateque dispersa, libros sacros, si minus omnes, aliquos tamen & praecipuos secum portabat, & ad usus cum publicos, tam priuatos, seruabat & describebat caractere primaeuo & Mosaico. Numne ergo fieri potuit, ut post reditum è captiuitate, Esdras cum Synagoga M. omnia plane vetusta Codicis sacri exemplaria ex tot orbis angulis extirparet, Iudaeorum manibus per uniuersum fere orbem extorqueret, collecta in cumulum aboleret & in eorum locum noua exemplaria, caractere diuersissimo exarata, tam incredibili fere copia, tantoque numero, quantum exigebat necessitas, surrogaret? Quis porro persuadere sibi patiatur, Iudaeos tam late dispersos, in Esdrae & Iudaeorum Palaestiniensium scripturionem consensisse, misso & abiecto primaeuo illo, atque a Mose ad sua usque tempora propagato caractere? Cum pernicatissima gentis indoles, & tenacissima prisci moris religio dicam, an superstitio, passa nunquam fuisset, ut characterem Θεόδωρον, quo Tabulas legis DEI digito signatas acceperat, cum nouo, ab idololatriis mutuato, permutaret caractere, & sanctissima Numinis oracula, quae ex omnibus diuinitatis documentis reduci genti una suppetebant, gentili & profano indueret schemate. Iudaeos vero ex captiuitate Babylonica reduces eodem usus esse Zelo in conseruandis iis, quae ad sacra exterius spectant*

spectant, PHILONIS comprobatur testimonio *Lib. II. de vita Moysi*: Constat etiam ex Talmude, Iudaeos finales hebraeorum litteras, cum a Prophetis eas introductas esse audirent, primum repudiassent, & tum demum admisissent, cum easdem a Mose iam adhibitae fuisse cognouissent. Nec ullo modo nobis fit verisimile, Esdras, verae in Deum pietatis cultorem haud fucatum, sine speciali DEI mandato tale quid in sanctiori litteratura sibi sumere voluisse.

§. V.

Nouum quoddam pro sententia nostra pugnans argumentum desumitur ex Hebraeorum litteris, similitudinem quamdam inter se habentibus, quae translatores Chaldaeos, Graecos & Latinos saepe fefellerunt, & ex culpa lectoris minus adtenti etiam in transcripto Codice Samaritano varios pepererunt lapsus. Dari litteras Hebraeorum adfines, & quoad figuram quodammodo inter se conuenientes, ipsa alphabeti hebraici inspectio edocet. Sic כ & ך. ג & ן. ך & ך. ן & ן. ן & ן. ן & ן. ן & ן. nec non aliae quaedam in ipsa figura quamdam habent cognationem. Quod si autem Chaldaicum paraphrasten, versionem Graecam LXX. interpretum, versionem Latinam Vulgatam consulimus, multa deprehenduntur loca, in quibus Versionum istarum auctores humani quid passi sunt, id quod in iis potissimum locis contingit, in quibus Hebraeorum litterae facili errore cum aliis permutabiles occurrunt. Istiusmodi litterarum, perperam inter se per-

mutatarum exempla ex Verfione LXX. *vitali* magno studio collegit IOANNES HENRICVS HOTTINGERVS in *Theſauro Philologico* feu *Clavi Scripturae*, *Lib. III. Cap. III. Sect. II. Qu. XV. p. 356. ſqq.* Ex verſionibus autem Graecis, Chaldaicis & Latinis largam iſtiusmodi exemplorum meſſem metere licet ex LVDOVICI CAPPELLI *Critica Sacra Lib. IV. Cap. V. p. 248. ſqq.* & *Lib. V. p. 323. ſqq.* nec non ex STEPHANI MORINI *Excercitationibus. de lingua primaeva Excercit. II. Cap. VIII. p. 236. ſqq.* Aberrationes autem, quae in ipſum Pentateuchum Samaritanum ex litterarum hebraicarum cognatarum confuſione irrepſerunt, idem MORINVS *l. c. Cap. VII. p. 119. ſqq.* indicat. Iam vero errores, ex litterarum hebraicarum, quoad figuram quodammodo inter ſe conuenientium, permutatione orti, edocent, iſtos, ex cauſis modo memoratis qui aberrarunt, translators, in verſionibus ſuis characterem litterarum hebraicarum quadratum eſſe ſecutos, adeoque hunc characterem pro authentico habuiſſe. Fontes Samaritanos ſi habuiſſent translators illi, litteras iſtas confundere hoc modo non potuiſſent, ſiquidem iſtiusmodi litterarum, ex quarum confuſione Scriptores memorati aberrationes in Verſionibus ortas eſſe contendunt, apud Samaritanos magna eſt diſſimilitudo. Non negamus, dari etiam quosdam Samaritanorum litteras, quae figurâ maxime inter ſe conueniunt. In illis autem locis, in quibus Samaritanorum lingua litteras habet figura adſines, hanc a Codice hebraeo diſcrepantiâ non inueniri, Critici dudum obſeruarunt.

uarunt. Hinc LVDOVICVS CAPPELLVS suo se iugulare gladio videtur, locis iam adlegatis magno conatu commonfrans, versionum a textu hebraeo discrepantiam ex litterarum hebraicarum adfinium permutatione esse profectam. Ex his itaque colligimus, omnes, quos diximus, Scripturae sacrae translatore, & ipsos Pentateuchi Samaritani descriptores in V. T. Scriptura, caractere litterarum hebraicarum quadrato vfos esse. Quis autem sibi persuadebit, tot eruditos translatore & follertes litterarum sacrarum scrutatore authenticum sacrorum Bibliorum caractere ignorasse, aut spurium pro genuino scrutari voluisse?

§. VI.

Silentio quoque praetermittenda non sunt alia momenta, quae pro statuminanda thesi nostra faciunt. Quod si quis existimauerit, oracula diuina a Mose & aliis viris sanctis ante captiuitatem Babylonicam litteris Samaritanis esse consignata, ab illo expectaremus, vt nobis ostendat, aliquam inter Iudaeos exemplarium biblicorum, litteris Samaritanis exaratorum, memoriam, vel lacinia quaedam superesse, aut traditionem extare quamdam de scriptione tabularum legis, caractere Samaritano facta. Quod si enim in Scriptura V. T. ante deportationem Babylonicam caractere primaeuus atque authenticus fuisset Samaritanus, tale quid omnino expectari posset. At enim vero, si genuina

Judaeorum monimenta perlustraueris, nec vola, nec vestigium inuenietur eorum, ex quibus concludi queat, characterem litterarum Samaritanarum esse primigenium, & ab ipsis scriptoribus sacris primitus adhibitum. Nec est, cur ad Pentateuchum Samaritanum aliquis hic prouocet. Illum enim hebraei Codicis ἀπόγραφον esse, Critici atque Theologi praestantissimi dudum euicerunt. Aliorum lucubrationes vt taceam, copiose atque erudite de Pentateucho Samaritano commentatus est Summe Rev. Dn. IOANNES GOTTLOB CARPZOVIVS in *Critica Sacra Part. II. Cap. IV. p. 585. sqq.* Conferri etiam meretur V. C. IAC. FRID. REIMMANNI *Einleitung in die Historie der Theologie insgemein und der Jüdischen Theologie ins besondere Lib. I. Cap. VII. §. 3. p. 108. sqq.* Quae autem de Pentateucho Samaritano inter ANTONIVM van DALE & STEPHANVM MORINVM disceptata sunt, legi poterunt in epistolis quibusdam, quae ANTONII van DALE *Dissertationibus: de Origine ac progressu Idololatriae & Superstitionum, de vera & falsa prophetia, nec non de Diuinationibus Idololatricis Judaeorum* adnexae sunt. p. 681. sqq.

§. VII.

Vrgeri etiam potest argumentum, ex *Matth. V. 18.* de promptum, vbi dulcissimus SALVATOR ad legem ita consideratam, vt a DEO lata est, respiciens, pronunciat: *Ἀμὴν γὰρ λέγω ὑμῖν, ἕως ἂν παρέλθῃ ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ, ὅσα ἐν τῇ μίᾳ κεραίᾳ οὐ μὴ παρέλθῃ ἀπὸ τοῦ νόμου, ἕως ἂν πάντα*

πάντα γένηται. H. e. Amen enim dico vobis, usque dum praeterierit coelum & terra, Iota unum aut unus apex non praeteribit ex lege, donec omnia fiant. In his verbis CHRISTVS de ea loquitur lege, in qua littera Iod est minima. Hoc vero de caractere litterarum Samaritanarum dici nullo modo potest, dum Iota in alphabeto Samaritanorum littera est satis magna. Quod si vero litteras Hebraeorum quadratas confideramus, litteram Iod in isto alphabeto esse litteram minimam, ad oculum patet. Hinc etiam CASPAR NEVMANVS in *Clavi domus Heber* in tabula quadam ad pag. 146. ostendit, τὸ Iod Hebraeorum omnium litterarum hebraicarum matrem esse ac fundamentum; & ex illo, dum repetitur, eiusque positus multis modis variatur, omnes Hebraeorum litteras prodire. Non ignoramus quidem, WALTONVM eiusque asseclas hic clamitare: Ex oraculo isto CHRISTI hoc tantum elici posse, quod aetate CHRISTI litterae quadratae in describenda lege sint adhibitae; Non vero, quod istae litterae quadratae etiam Mosis, Davidis, Iesaiæ & Ieremiae temporibus, in lege & aliis V. T. libris authenticis vigerint. Huic autem κρησφύγετον opponimus verba Magnifici DN. VAL. ERNESTI LOESCHERI in libro: *De Causis linguae hebraeae Lib. II. Cap. I. §. XII. p. 214.* ita pronunciantis: *Cum Seruator argumento contra verbi diuini interpolatores generali utens, vniuersalem de minimis ex Hebraeorum lege nunquam tollendis voluntatis diuinae sanctionem proferat, rectius omnino agunt, qui Iota in eiusdem authenticis exemplaribus semper*

C 3

litte-

litterarum minimam fuisse credunt. Ad tempora quoque antecedentia hunc sermonem CHRISTI extendendum esse, ex ipso contextu patet, dum dulcissimus Σωτήρ de perpetua verbi diuini, litteris comprehensi, duratione loquitur. De eo autem textu si tantum intelligeretur, qui tempore CHRISTI, visibili forma in his terris versantis, fuit, non posset dici, durationem verbi diuini scripti esse perpetuam & immutabilem. Placet hic etiam adiciere verba DN. IO. FRANCISCI BVDDEI, qui in *Historia Ecclesiastica V. T. Tom. II. Per. II. Sect. VI. ad §. XII. p. m. 808.* de Oraculo Matth. V. 18. ita pronunciat: - - *Hinc nouum simul ex eodem loco oritur argumentum; cum ne in unica quidem littera mutationem quamdam subire debeat verbum diuinum, multo minus quoad omnes totius alphabeti litteras, illud mutatum esse.*

§. VIII.

Tam notum etiam est, quam quod notissimum, non Iudaeos solum, verum etiam quosdam Christianorum in litteris Hebraeorum, inusitato & extraordinario modo scriptis, mysteria quaerere. v. c. Quando Es. IX. 7. in voce לְסִרְבָּה i. e. *ad multiplicandum*, ם finale, quod alias Mem clausum vocatur, pro altero ם quod Mem apertum dici solet, ponitur, Rabbinum contendunt, lectorem moneri, vt mysticum quid ibi insinuatam intelligat. Sic RABBI SCHAMMAI in libro *Sanhedr.* existimat, occulto quodam supputationis artificio numerum annorum a tempore vaticinii huius

ius ad tempus exhibendi Messiae significari. Alii arcanam regni Christi dilatationem, quae etiam ex *Luc. XVII. 20. 21.* constat, hac littera, extraordinario modo scripta, indicari arbitrantur: A qua opinione non alienus est IOANNES CALVINVS, qui in Commentario ad *b. I. Mibi*, inquit, *utilis esse videtur admonitio; ne putarent fideles, externa opulentia splendidum fore Christi regnum, atque ita mundanos triumphos vana spe haurirent; sed tantum inter varias pressuras sperarent arcanam dilatationem regni, quia promissa est.* Aliorum opiniones de hac littera, extraordinario modo scripta, iam tacemus. Sic è contrario deprehenditur etiam \square apertum pro \square clauso, *Neb. II. 13.* in fine vocis \square . Agitur in isto loco de disruptione murorum Hierosolymitanorum. Hinc ea quibusdam enata est opinio, Prophetam ipsa litterae figura extraordinaria miseram murorum rapturam ob oculos ponere voluisse. Frustra autem in littera aliqua finali, aut alia, loco finalis litterae posita, mysterium, & occulta quaedam significatio quaeretur, si Samaritanorum litterae essent primaevae & ab ipsis Scriptoribus $\Theta\epsilon\omicron\pi\tau\epsilon\upsilon\varsigma\omicron\iota\varsigma$ primitus adhibitae, cum in Samaritanorum alphabeto nulla sit forma peculiaris vltius litterae finalis.

§. IX.

Denique & hoc addi posse opinamur, quod Samaritani a Iudaeis, non autem Iudaei a Samaritanis in religione defecerint. Pari etiam modo in scriptione Iudaei antiquas figu-

ras retinuisse; Samaritani vero, ceu Schismatici, vt in aliis quoque a populo Iudaico discederent, characteres litterarum immutasse non immerito iudicantur. Alia, quae hic adferri possent, data opera praetermittimus, dum potiora tantum in medium adferre constitutum nobis fuit. Piacet autem huic Capiti finem imponere verbis *Cel. EZECHIELIS SPANHEMII*, qui in *Diss. II. de Praestantia & Vsu Numismatum Antiquorum Tom. I. p. 64.* Vero utique magis, inquit, consentaneum videtur, statuere, restitutam ab Esdra, vna cum veteris gentis traditionum tenacissimae cultu, & sacro codice, eandem, qua olim ille fuit exaratus, Scripturam; quam vno Samaritanorum odio, eam ab illo fuisse continuo immutatam; prioremque, quae a DEO fuerat, velut consecrata, Samaritanis demum, quos eodem cum gentilibus loco habuerunt, vt id a Talmudicis & Mischnicis quidem Doctoribus aliisque Magistrorum coryphaeis dicitur, relictam adfirmare.

CAPVT. II.

DE

VOCALIBVS HEBRAEORVM.

§. I.

Abs Hebraeorum litteris, quo nomine Consonantes apud illos insigniuntur, iam progredimur ad Vocales, quas vna cum accentibus Puncta adpellare consueverunt. Dantur apud Hebraeos etiam puncta litteraria, quae litteris

litteris infinguntur, vel inscribuntur, eum in finem, vt litterarum dirigatur pronuntiatio; qualia sunt Dagesch v. c. in א, ב, ג, ד, ה, ו, Mappick v. c. in פ- & punctum, quod vel in dextro, vel in sinistro cornu ׀ ׀ ׀ locum occupat. In sensu autem eminentiori Vocales & Accentus punctorum nomine veniunt, quia tam Vocalium, quam Accentuum mater & origo punctum esse existimatur. Comp. CASP. NEVMANNI *Clavis Domus Heber. Parte III. de Punctis Hebraeorum p. 7. sqq.* qui etiam p. 9. recte adstruit, puncta in vniuersum omnia suo modo ad lectionem & pronuntiationem facere, quaedam autem eorum ita esse necessaria, vt sine illis ne concipi quidem possit lectio vlla. Ad puncta Vocalia quod adtinet, ipsa linguae cuiuslibet indoles docet, vocales ad syllabarum enunciationem omnino necessarias esse, vnde etiam linguam hebraicam vocalibus numquam plane caruisse, apud omnes in confesso est. Sunt autem, qui contendunt, vocales, quibus hodie vtimur, in Codice Bibliorum hebraeo olim non comparuisse, sed earum loco litteras א, נ, quas Grammatici inde אמור הקי"א, hoc est, *Matres Lectionis*, adpellare solent, adhibitas fuisse, hoc quidem modo, vt א, vocales a & e; נ, vocales o & u; & denique, vocalem i expresserit. vid. CAMPEGIVS VITRINGA in *Obseruat. Sacr. Lib. I. Cap. II. p. 186.* Magis pingit & amplius ornat hanc sententiam STEPH. MORINVS, *Exercit. de lingua primaeua Part III. p. 339. sqq.* tribus istis litteris memoratis tres adhuc alias, videlicet ד, ה, ו addens, & aperte

D

te

te pronuncians, litteras אהוויע vocalium munere olim fun-
ctas esse, hoc quidem modo, vt א, a; ה, e vel ε; ו, Latino-
rum v & Graecorum υ; ח, e longum aut duplicatum, Grae-
corum η; י, i & Graecorum ι; צ, o & Graecorum o vel ω
referat. Multis sane haec opinio premitur difficultatibus. In
primis vero, admissa hac hypothefi, concedendum, eiusmodi
litteras, loco vocalium quondam adhibitas, ex innumeris Scri-
pturae sacrae locis periisse, id quod tamen effato Christi Matth.
V. 18. repugnaret. Contra STEPH. MORINVM in hac caus-
sa etiam calamum strinxit CHRISTIANVS ZOEGA in *Dis-
sertatione Philologica de Hebraeorum Vocalibus.*

§. II.

Hanc opinionem de litteris quibusdam, vocalium vice
in codice bibliorum hebraeo olim functis, qui propugnans
de origine vocalium Hebraeorum, in sacris bibliis hodie oc-
currentium, docent, eas eum in finem inuentas, & loco lit-
terarum אהוי, aut ex mente STEPH. MORINI loco litterarum
אהוויע substitutas esse, quoniam illae certiora & eviden-
tiora verae lectionis indicia exhiberent, quam istae litterae
suppeditare potuissent. Quapropter etiam CAMPEGIVS VI-
TRINGA l. c. p. 185. mentem suam explicans: *Puncta
illa vocalia, inquit, quae hodie sub litteris hebraeis forma quadrata
signata videmus, eam ob causam a Iudaeis diligenter adinuenta
sunt, ut vera legendae sacrae Scripturae ratio conserua-
retur,*

retur , & ad posteritatem transmitteretur. Illi enim cum destructum viderent Templum - - - omni studio & industria in id incubuerunt , ut Scriptura Sacra ilibata conseruaretur , & à posteris suis secundum traditionem maiorum legeretur. Hoc itaque VITRINGA , & , qui hac in hypothefi cum eo faciunt , concedere debent , quod ope vocalium lectio textus hebraei in Scriptura V. T. certior reddatur atque euidentior. Singularis vero & ficulneis nixa argumentis est opinio, quam CHRISTIANVS RAVIVS in *orthographicis hypomnematibus Delineationis Orthographiae & Analogiae Ebraicae* (quod opus Amstelodami anno MDCXLVI in 4. typis expressum lucem adspexit publicam) fiffit. Ex eo enim, quod Arabes diuerfarum prouinciarum, qui, dum arabice mutuo inter se loquuntur, propter diuerfam linguae suae pronunciationem se inuicem vel difficulter admodum, vel plane non intelligunt, mentem suam cum aliis, Arabicam linguam callentibus, a quibus ore loquentes non intelliguntur, scribendo, absque punctis licet scribant, feliciter communicare queant: p. 16. num. 16. sqq. ita colligit: *Ergo nostri non debent nimium tribuere vocalibus & pronunciationi, quia nihil per se faciunt ad sensum, neque per se linguam reddunt faciliorem. Sed contra Consonantibus solis diligentissime est studendum, ut quae solae exhibeant essentiam linguarum Orientalium. Si enim Vocales facerent ad intellectum librorum, uti in Latinis, Graecis & omnibus Europaeis, tum gentes & Orientales omnibus eas adscriberent, uti nos omnibus vocibus Vocales addimus. At quia Vocales nihil faciunt singularis & magni ad sensum, itaque illas om-*

mittunt, & quia solae litterae sensum absoluunt, quem dirigere debet iudicium lectoris, itaque illas solas scribunt. Non erat, cur RAVIVS ex hoc capite officium atque usum vocalium minoris faceret & exagitaret, dum haec omnia a diuerso pronuncian- di modo pendent. Rem simili quodam exemplo illustrabimus. Non raro contingit, vt incolae Saxoniae inferioris eos, qui in prouinciis quibusdam Saxoniae superioris nati atque edu- cati sunt, loquentes difficulter admodum intelligant. Quod si autem dictarum prouinciarum incolae cum incolis Saxo- niae inferioris in vernacula sua scribendo quaedam commu- nicant, illi facile ab his intelliguntur. Ex quo patet, à di- uerso pronuncian- di modo esse, quando inferioris Saxoniae incolae incolas Saxoniae superioris loquentes non adeo prom- pte intelligunt.

§. III.

Vt autem de mente eorum, qui vocalibus, in Scriptura V. T. hebraica occurrentibus non eandem cum litteris origi- nem atque aetatem tribuunt, eo melius constet, notamus, sen- tentiae huius patronos in multis hic obuientibus circum- stantiis inter se dissentire. Varia dantur sententiarum di- uortia, quando de tempore, quod primam vocalium origi- nem vidit, quaeritur. Alii enim Esdrae & Viris Synagogae Magnae inuentionis gloriam tribuunt, cuius sententiae pro- pugnatores exhibet IOANNES BVXTORFIVS, *Tract. de Punctorum Antiquitate & Origine Part. II. Cap. I. p. 313. Sqq.* Alii vero

vero puncta paullo post aetatem Esdrae à Masorethis esse inuenta contendunt: Cui sententiae adstipulatur Anglus ille, si quis alius, notissimus, HVMPHREDVS PRIDEAVX in libro cui titulus: *Connection of the old and new Testament, Part. I. p. 352. sqq.* Non exiguus quoque numerus est eorum, qui post *ἑσάρησιν τοῦ λόγου* vocales demum inventas esse augurantur, qui tamen circa definitam temporis aeram variant. Alii etenim statim post urbis & Templi Hierosolymitani excidium puncta vocalium suos vidisse natales perhibent, quorum partibus etiam fauet CAMP. VITRINGA, verbis in praecedente §. II. ex *Observat. Sacr. Lib. I. Cap. II. p. 186.* adlegatis. Alii ad V. vel VI. post reparatam humani generis salutem saeculum punctorum referunt inuentionem, & Masorethas Tiberienses Vocalium pariter ac Accentuum in Codice V. T. hebraeo auctores esse contendunt: Quam sententiam variis pigmentis colorare & magno strepitu propugnare studuit ELIAS LEVITA, Iudaeus Germanus, ita tamen, ut nullum antiquitatis testimonium fide dignum in medium protulerit. Vid. *eiusdem Praefat. III. ad librum: מסורה המסורה Masoreth Hammasoreth*, quae à SEB. MVNSTERO ex parte in latinam translata est linguam, & à IO. MORINO in *Exercitationibus Biblicis* passim, locis frequenter adductis, ad partes vocata. Comp. IOANNES CHRISTOPHORVS WOLFIVS in *Bibliotheca Hebraea Part. II. Lib. III. Cap. II. §. IX. p. 480. sqq.* Alii denique ad saeculum XI. vocalium inuentionem referendam esse opinantur, quae est sententia RICH. SIMONII,

quemadmodum eius ex *Hist. Crit. V. T. & Disquisit. Crit. de Variis Bibliorum editionibus saepe laudatus* IO. GÖTTLOB (ARP-)ZOVIVS in *Crit. S. Part. I. Cap. VI. p. 310.* ostendit. Varias quoque sententias de Vocalium & Accentuum inuentoribus recensuit & sub examen vocavit celeberrimi nominis Philologus, IOANNES LEVSDENIVS, in *Philologo Hebraeo, Dissertatione XIII.* quae est: *de genuina Punctorum Vocalium & Accentuum in V. T. Antiquitate* p. 110. sqq.

§. IV.

Praeterea etiam illi, qui vocales litteris coevas esse negant, in diuerfas abeunt partes, quando de lectione, quae vocalium beneficio instituitur, quaestio formari solet. In recensendis potioribus in hac hypothese sententiis otia mihi facit Praeellentissimi Domini Praefidis mei *Dissertatio Historico-Critica, de Litteris atque Punctis in Scriptura V. T. Hebraicis*, quae anno 1734. in hac alma Rostochiensis publicata est. Liceat mihi ex huius Dissertationis §. V. p. 12. sq. haec excerptare & in usum meum vertere verba: *Sunt, qui quondam, deficientibus adhuc Vocalibus, lectionem ab Hebraeis in Codice sacro eadem ratione, quae hodie, textu Vocalibus iam animato, obtinet, institutam fuisse contendunt, adeoque ex hypothese de Vocalibus recens inuentis, & textui hebraeo additis, nullum periculum provenire posse arbitrantur.* Est haec sententia ELIAE LEVITAE, qui, quoniam non nouam & antea inusitatam, sed talem, quae Mosi & reliquis scriptoribus sacris recepta fuit, lectionem prodidisse statuit, negat, Maso-
retha-

retharum verba de punctis & dictionum numero falsanda esse aut mutanda. Habet hac in parte ὁμοίηρον IAC. GVSSETVM in Commentario de lingua Hebraea. p. 755. b. Contra ea autem alii, lectionem, quae ministerio Vocalium instituitur, prorsus nouam & a veteri legendi ac pronunciandi modo diuersam esse, adfirmant, hanc legendi rationem Masorethicam vocitantes. Adstipulantur huic sententiae ZWINGLIUS, & STEPH. MORINVS, recentiori vero aetate MASCLEFIVS, qui Masorethicam illam legendi rationem, ceu plane nouam, licite repudiari & cum alia pro lubitu commutari posse, statuens recte vapulat Cl. IO. CHRIST. WOLFIO, in Methodo Hebraismi noua, Hamb. 1716. His accedunt, qui Masorethas in punctis addendis coniecturam magis, quam germanam traditionem secutos fuisse, adeoque in multis a vero aberrasse clament. In hac autem sententia LVD. CAPPELLVM in Arcano Punctuationis Reuelato passim, RICH. SIMONIUM in Hist. Crit. V. T. Lib. I. Cap. XXIV. sqq. & IO. CLERICVM in Artis Criticae Part. I. Cap. IV. §. I. num. 4. p. 75. sqq. deprehendi constat. Vberius de lectione ope vocalium instituta agunt IO. CHRIST. WOLFIVS, ὁ ὄν ἐν ἀγίοις, in Bibliotheca Hebraea l. c. §. XIII. p. 485. sqq. & Summe Reu. Dn. IO. GOTTL. CARPZOVIVS l. c. p. 309. sqq.

§. V.

Ad thesin ipsam iam accedimus propius. Praemonenda autem quaedam prius sunt, quam argumenta, pro sententia nostra pugnancia, adferamus. In primis notamus, non omnes:

omnes illos, qui puncta vocalium & accentuum litteris coaeua esse negant, eodem loco esse habendos. Quidam enim mentem suam ita exponunt, vt certitudo legendi ac interpretandi Scripturam Sacram cum ipsorum sententia commode satis stare queat. Alii autem ita sentiunt, vt auctoritati & integritati sacri Codicis hebraei multum detrahant. Ad priorem classem referendi sunt illi, qui opinantur, puncta vocalium atque accentuum Hebraeorum in bibliis sacris diuinae omnino esse originis, & ex mente Mosis, Prophetarum reliquorumque Scriptorum sacrorum expressa, & Mosis in monte Sinai tradita, ita tamen, vt tantum secundum pronunciationem & lectionem, non autem secundum ipsam scriptionem adfuerint. Hoc vero ita factum esse, augurantur: Genuinam atque veram legendi & pronunciandi rationem per traditionem oralem fuisse propagatam ac conseruatam, adeo, vt Moses hanc genuinam punctorum rationem tradidisset Iosuae, Iosua Senioribus, Seniores Prophetis, Prophetae Viris Synagogae Magnae, cuius caput atque Praefes Esdra fuit; Esdram vero cum Collegis, Viris Synagogae Magnae, non sine adflatu aliquo diuino puncta litteris addidisse. Alii autem punctis vocalium atque accentuum humanam duntaxat originem tribuunt; inuentionis gloriam vel Masorethis Tiberiensibus, vel duobus Hebraeorum Criticis celebribus, videlicet BEN ASCHER, & BEN NAPHTALI, plerumque vindicantes; Hinc etiam sibi persuadent, puncta hodierna licite mutari, & alia ipsorum loco substitui posse,

posse, si sensum quidem commodiorem alia punctatio indicaret. Hos ipsos autem auctoritati Scripturae Sacrae, & certitudini interpretandi verbum diuinum maxime detrudere, quis est, qui non perspicit? Hinc Pontificii, ne ἀπρόσμαχον sacrarum litterarum robur extimescere debeant, ambabus hanc amplectuntur opinionem, adeo, vt ROBERTVS BEL-LARMINVS *Lib. I. de Verbo DEI Cap. II.* audacter fatis scribat: *Puncta extrinsecus addita sunt; possumus itaque, si volumus, puncta detrudere & aliter legere.* Nec erubescit THOMAS STAPLETONVS, *Controu. V. Quaest. III. Art. I.* ore impudente pronunciare: *Adpositione punctorum vocalium Ebraismus est vitiatus, & ab eo usque tempore non potest amplius hebraeus textus authenticus esse aut versionum norma.* Magis mirandum, immo dolendum, in castris etiam Protestantium eiusmodi cani cantilenam. Hoc autem fieri LVDOVICVS CAPPELLVS, Caluino-Reformatus, suo comprobat exemplo, qui in *Arcano Punctationis Reuelato* passim adfirmat, puncta pro arbitrio interpretis variari posse. Sic enim *l. c. p. m. 784.* mentem suam his explicat verbis: *Ad loca obscura, dubia & ambigua quod adtinet, quae variam possunt admittere punctationem, quis iure conqueratur aut indignetur, si quis aliam proferat punctationem, quae sensum alium tam verum, tam commodum, tam cohaerentem & consonum pariat, aut etiam veriorem & commodiorem, quam sit ille, qui oritur ex hodierna Masorethica.* Et paullo post pergit: *Sane, si noua istis in locis punctatio clariorem, commodiorem & veriorem sensum pariat, nulla Masoretharum religione teneri debemus, vt non istam*

E

istam nouam potius, quam illam Masorethicam sequamur. Qua autem fronte CAPPELLVS haec scripserit, ex mox dicendis clarius patebit.

§. VI.

Vt autem constet, quinam illi sint, qui de vocalium hebraicarum origine & auctoritate minus recte sentiunt, in primis hic nominabimus ELIAM LEVITAM, LVDOVICVM CAPPELLVM, THOMAM ERPENIVM, ISAACVM CASABONVM, IOSEPHVM IVSTVM SCALIGERVUM, ISAACVM VOSSIVM, IOANNEM DRVSIVM, ARNOLDVM BOOTIVM, ANDREAM RIVETVM, LVDOVICVM DE DIEV, HVGONEM GROTIUM, FRIDERICVM SPANHEMIVM, FESTVM HOMMIVM, THEODORVM BEZAM, IOANNEM SELDENVM, BRIANVM WALTONVM, ANDREAM SENNERTVM, IACOBVM BASNAGIVM, FRANCISCVM BYRMANNVM, RICHARDVM SIMONIVM, PHILIPPVM A LIMBORCH, STEPHANVM MORINVM, CAMPEGIVM VITRINGAM, IOANNEM CLERICVM, CHRISTOPHORVM AVGVSTVM HEVMANNVM, & alios. Contra eos itaque dum pugnamus, qui vocalibus, in Codice bibliorum hebraeo obuiis, diuinam denegant originem, thesin nostram exprimere placet verbis IVSTI CHRISTOPHORI SCHOMERI, Theologi quondam Rostochiensis, *ep̄p̄dodōxīas gloria celeberrimi, in Collegio Nouissimarum Controversia-*

uerfiarum Cap. II. §. V. pag. 20. ita scribentis : *Πυντὰ Vocalia Hebraeorum in sacro textu eiusdem auctoritatis sunt , cuius ipsae litterae , & procul dubio iisdem coaeva , ad minimum Esdrae aetate non recentiora .* Iam monuimus in §. V. , sententiam eorum , qui docent , quod per traditionem quamdam *καρποπαράδοτον* , dirigente & lapsum omnem praecauente *θεορθευσία* , ab Esdra vocales litteris fuerint adiectae , non derogare auctoritati & integritati sacri codicis . Idem etiam fatentur grauissimi Theologi , ex quorum numero hac vice duumuiros tantum excitabo celeberrimos , IO. CHRISTOPHORVM WOLFIVM , in *Bibliotheca Hebraea Part. II. Lib. III. Cap. II. §. XIV. p. 486.* & IO GOTTLOB CARPZOVIVM in *Crit. Sacra Part. I. Cap. V. Sect. VII. ad §. XI. num. I. p. 243.*

§. VII.

Nobis itaque iam erit probandum , vocales in codice V. T. hebraeo occurrentes , non esse inuentum aliquod humanum , sed easdem diuina gaudere origine . Licebit hic in expositione argumenti , magna ex parte historici , in medium adferre testimonia fide digna . Et hoc quidem modo iterum ad testimonia Iudaeorum prouocamus . Ipsi etiam aduersarii nostri tunc quidem , quando Iudaeos pro sua sententia adiegare possunt , ipsorum testimoniis multum tribuunt . Hinc BRIANVS WALTONVS in *Proleg. Bibl. p. 65.* diserte fatetur , nullum firmitus suae sententiae (de Versione

LXX. Interpretum) argumentum esse, quam testimonium Iudaeorum & scriptorum Iudaicorum, & p. 93. adferit, vnicuique genti in rebus suis, nisi contrarium ostendi possit, credendum esse. Ipse quoque LVDOVICVS CAPPELLVS in *Arcano Punctuationis Reuelato Cap. III. p. m. 706.* (edit. in folio, quae 1689. Amstelodami prodit) aperte pronunciat: *Iudaeorum suae Rabbiorum eiusmodi antiquorum auctoritas atque testimonium non videtur mihi hac in causa esse contemnendum, neque suo carere pondere.* Interim hos ipsos, quos citauimus, WALTONVM atque CAPPELLVM, testimonia Iudaeorum, quando suae sententiae eadem minus fauere intelligunt, alto supercilio despiciere non ignoramus. Merito autem hic addimus illud EVSEBII, qui de *Praepar. Euangel. Lib. IX. Cap. III. Quemadmodum*, inquit, *ab Aegyptiis res Aegyptiorum, Phoeniciorum a Phoenicibus, Graecorum a Viris illustribus Graeciae, Philosophorum a Philosophis, discere conuenit; ita ex consequenti etiam statuo, res Hebraeorum patrias, non aliunde, quam ex Hebraeorum scriptis distisquae esse repetendas.* Quae cum ita sint, ad varia antiquitatis & Synagogae Iudaicae testimonia, quae partim expressis verbis vocales litteris coeuias esse perhibent, partim autem vnanimi fere silentio nouaturientium quorundam opinionem, quasi vocales recens sint Masoretharum inuentum, refellunt, nos recipemus; Otia nisi nobis fecissent IOANNES BVXTORFVS, Filius, in *Tractatu de Punctorum Vocalium & Accentuum in libris V. T. Hebraicis Origine, Antiquitate & Auctoritate Cap. III. V. & VI. nec non Part. II. Cap. III. p.*

318. *sqq.* qui longo agmine haec testimonia in aciem produxit, & MATTHIAS WASMVTHVS in *Vindictis Sacrae Hebraeae Scripturae Part. I. Cap. II. Thes. III. p. m. 168. sqq.* qui stricte eismodi testimoniorum pondera exhibuit. Pauca tamen, ne ἀσύμβολοι hic discedamus, in medium proferemus. Primum, quod adducimus, testimonium est ex *Libro Zohar*, ספר הזוהר, qui saeculo post natum CHRISTVM tertio non esse recentior plerumque creditur. Varia huc facientia in illo opere leguntur. Vnum ex eo tantum proferemus testimonium, quod huius est tenoris: **וְאָמַר** תאמר נקודי תקון סופרים הוא חס ושלום דאפילו כל נביאי דעלמא יהון כמשה דקביל אוריתא מטזרא דסיני לית לון לשו לחדתיא אפילו חדא נקודה זעירא באת: **אָמַר** h. c. *Si dixeris: Puncta ordinatio scribarum sunt. Absit id longissime: Nam etiamsi omnes Prophetae mundi essent, ut Moses ipse, qui accepit legem e monte Sinai, non tamen ipsis esset potestas innouandi etiam unicum punctum minimum, vel litteram minimam legis.* Porro etiam in medium prodeat RABBI ASARIAS, in *Meor Enajim Cap. 59.* post refutatam ELIAE LEVITAE opinionem ita pronuncians: **אָמַר** דעות האומרים שהנקודות אל האותיות לשינונן דקרוש שהוא תעברו נתחדשו בסיני או בימי עזרא וישקורם

וְשִׁקְרָם לִכֵּן לֹא הָיוּ וְלֹא נִכְרְאוּ נִרְאָה לְקִיּוֹר דַּעְתֵּי כִי
 : וְהָיָה הַכֵּל הַזֶּה i. e. *Etiam sententiae illorum, qui aiunt, quod pun-*
cta Vocalia ad litteras linguae nostrae sanctae Hebraicae demum ad-
data & inuenta sint in monte Sinai, aut temporibus Esdrae; antea
vero nec fuerint, nec extiterint; meo iudicio quoque vanae sunt &
inanes. Idem, quem adlegauimus, R. ASARIAS etiam osten-
 dit, quibus ex caussis puncta, iam dudum exstantia, tam
 raro vsurpata sint, & vice plus simplici obliuione fere totali
 sepulta. Ita enim scribit : וַיְהִי כַּהֲתַסִּיר וְיִשְׂרָאֵל לְדַבֵּר גַּם :
 בֵּין הַחֲמוֹן בְּלִשׁוֹנָם הַקְרוּשׁ עַד הַרְבֵּן רֵאשׁוֹן כְּמוֹ שֶׁזִּכְרָנוּ
 כְּפֶרֶק הַקְדוּמָה וְכִישׁ בְּעִזְבוֹתָי אֵת הַתּוֹרָה וְקִרְיָאתָהּ יִתְכַן
 שֶׁנִּשְׁתַּכְּחוּ נְקוּדוֹתֶיהָ עַד שֶׁבָא עֲזַרָא וּבִהְשִׁיבוֹ אֵלֵיהֶם אֵת
 הַתּוֹרָה כְּתוּבָה בְּלִשׁוֹן הָעִבְרִי אֲשֶׁר בְּגִלוֹת בְּכָל הוּא
 וְהַתּוֹרָה נִשְׁתַּכְּחָה מִן הַחֲמוֹן כְּאִמּוֹר הַחֲזוֹר גַּם כֵּן נְקוּדוֹתֶיהָ :
 וְעַכְזֵי כַּהֲתַסִּירָם כֹּל יָמֵי בַיִת שְׁנֵי לְדַבֵּר עוֹר בְּלִשׁוֹן הָאֲרָמִי
 גַּם בְּרִבְרֵי הַתּוֹרָה כְּמוֹ שֶׁהוֹכַחְנוּ הֵיוּ הַנְּקוּדוֹת הַזֵּה
 הַלּוֹךְ וְהַסּוֹר וּבִלְתֵּי נוֹדְעִים כִּי אִם לְמַעֲשִׂים וּבְכַפְרֵט חֲכָמֵי
 : הַאֵמֶת i. e. *Cum autem Isrælitae consueuissent, etiam in vulgo,*
loqui lingua sancta, usque ad vastationem primam, uti praecedenti
capite docuimus; maxime autem, quum deseruissent legem & lectio-

nem eius, tum in obliuionem abierunt Puncta eius, donec venisset Esdras, qui cum Israëlitis restitueret Legem lingua hebraea scriptam, (quia in captiuitate Babylonica, & lingua hebraea, & Lex, in obliuionem venerant in vulgo) restituit & reuocauit simul Puncta eius. Attamen cum postea, toto tempore templi secundi, solerent vulgo loqui lingua Aramaea, eaque etiam in lectione Legis vterentur, sicut ostendimus, tunc Puncta illa iterum paulatim abibant & desiciebant, ignotaque fiebant, exceptis paucis quibusdam, & in specie Sapientibus Veritatis. Alia vt taceamus, notandum, omnes omnino Iudaeos antiquiores, vno ELIA LEVITA excepto, originem punctorum hebraicorum diuinam agnoscere, & nefas ducere, si quis ab ista lectione, quam nostra interpunctio exhibet, discedere auderet. Seetae inter Iudaeos semper existerunt, quemadmodum etiam hodie Karraeorum atque Rabbanitarum seetae inter illos dantur. Quod si itaque puncta vocalium humano consilio atque studio essent profecta, illa sine insigni quorundam Iudaeorum contradictione induci numquam potuissent, praesertim in libro הורא i. e. legis, qui liber populo Iudaico semper fuit sanctissimus. In primis Karraei, qui placita Talmudis adspernantes solam V. T. Scripturam recipiunt, punctationem codicis hebraei sibi obtrudi numquam passi fuissent: Nisi eam ab ipso DEO profectam esse, & ab antiquo in codice sacrorum bibliorum hebraeo iam obtinuisse existimassent. Accedit, Cabbalistas atque Talmudistas in id incumbere, vt varios scripturae sensus effingant. Quod si itaque a Mose atque aliis Viris Deo-

וְעַל

πνεύματι non nisi codices non punctatos accepissent, puncta vocalium atque accentuum, quibus istiusmodi licentiae, varios effingendi sacrae Scripturae sensus, quasi frenum iniicitur, numquam recepissent, sed magna contentione & contradictione dubio procul eadem repudiassent. At enim vero eiusmodi disceptationis aut contradictionis nec vola, nec vestigium in antiquis Iudaeorum monumentis genuinis ac fide dignis, deprehenditur.

§. VIII.

Licebit hic etiam prouocare ad primos Masorae auctores, qui passim in scriptis Iudaeorum adpellantur ספרים ראשונים *prisci Numeratores*, חכמי המסורה *Sapientes Masorae*, שומרי חומות העיר *Custodes murorum ciuitatis*, (videlicet sanctae) ספרו מתי המקדש למען אשר לא יקרב זר אל שער צרק *i. e. numerarunt viros Sanctuarii, ne quis peregrinus se intruderet in portas iustitiae*. Primos Masorae auctores fuisse viros Synagogae Magnae, qui אנשי כנסת הגדולה vulgo vocantur, erudite adstruit IO. BVXTORFIVS in *Tiberiade Cap. XI. p. 102. sqq. coll. Cap. X. p. 93. sqq.* In hoc collegio, cuius Praefes ESDRA dicitur, etiam Haggaeus, Zacharias, Malachias, Zorobabel, Mardochai, Iosua Pontifex, & Nehemias fuisse perhibentur, quorum fidem in dubium vocare omnino nefas putatur. Iam vero constat ex multis testimoniiis fide dignis, a BVXTORFIO in *Tiberiade l. c.* adductis, primos

primos Masorae auctores de punctis vocalium atque accentuum varia notasse. Ex eo autem inferri omnino potest, puncta istiusmodi vocalium atque accentuum primis Masorae auctoribus esse antiquiora, aut minimum illis coaeva. Quod si enim illi Masorethae etiam ratione punctorum anomalia, singularia, rarius occurrentia, vel etiam ἀπαξ λεγόμενα adnotarunt, quae sic vel aliter punctata numerarunt, & quoties in sacro hebraeorum codice occurrant, indicarunt, consequens est, ut in vetustis illis, quos manibus versarunt, & mutuo inter se contulerunt, codicibus puncta iam existerint. Paucis ut nos expediamus: Omnes Masorethicae notae, quae punctorum vocalium atque accentuum iniiciunt mentionem, ostendunt, Masorethas, harum notarum auctores, de vocalibus atque accentibus, textui sacro dudum ante adscriptis iudicasse, & sui iudicii notas adiecisse, ut genuina forma, in codice sacro inuenta, constaret ac permaneret, nec cuiquam esset occasio, causa & ratio, quidquam immutandi. Vberiore huius argumenti expositionem cognoscere cupiens adeat IO. BVXTORFII *Tiberiadem Cap. IX. sqq. p. 47. sqq.* quo in libro magna datur copia eiusmodi exemplorum, in quibus Masorethae circa puncta vocalium atque accentuum adnotamenta reliquerunt. Addantur etiam MATTHIAE WASMVTHI *Vindiciae Sacrae Hebraeae Scripturae Part. I. Cap. II. Sect. I. Thef. I. sqq. p. 155. sqq.* Lectu digna hic etiam exhibet THOMAE GOODWINI *Moses & Aaron Lib. VI. Cap. VII. §. VII. sqq. p. 515. sqq. §. IX.*

§. IX.

Haecenus ex antiquis monumentis quaedam, quae pro diuina Vocalium, in codice bibliorum sacrorum hebraeo currentium, origine pugnant, adduximus. Nunc proficiscemur ad alia. Tanta sane est vocalium in codice V. T. hebraeo necessitas, vt textus originalis, absentibus illis, nec recte legi, nec absque ambiguitate intelligi queat. Apud omnes, quibus cor, vt aiunt, sapit, in confesso est, solis litteris consonantibus nullam inesse vim, sensum rei alicuius exprimendi, sonum declarandi, aut mentem nostram cum aliis communicandi. Illae enim per se nullum habent sonum, adeoque eundem nulli voci dare possunt, quapropter etiam in germanica nostra lingua non inepte audiunt: die Stummen Buchstaben; & Graecis recte dicuntur σύμφωνα, quoniam coniungi debent cum puncto quodam, sonum continente, vt sonum edant & sensum exprimendum exprimant. Hinc R. DAVID KIMCHI in *Michlol* f. 168, Col. 2. disertè profitetur הַתְּנוּעוֹת ה' סְבִלֵי ה' הַתְּנוּעוֹת פִּי לֹא יוּכַל אֲדָם לְהַנְיֵעַ אוֹת סְבִלֵי ה' i. e. *Non potest homo mouere litteram ullam, sine quinque istis motionibus* (scilicet: a, e, i, o, u,). Omnis quippe sonus ex consonis & vocalibus est compositus. Huc etiam quidam Hebraeorum illud SALOMONIS *Prov. IX, 1.* חִכְמוֹת בְּנֵתָה עֲמִידֵיהֶן שִׁבְעָה: h. e. *Sapientia aedificauit domum suam: excidit columnas suas septem*; adplicantes, per septem sapientiae columnas denotari augurantur vocales Hebraeorum septem.

septem, . . . , . . . , . . . , . . . , . . . , . . . , . . . (Nam ad has septem primi & veteres Grammatici reliquas etiam vocales referre consueuerunt)
 עלהן i. e. *super quibus* (tamquam columnis) *tota domus* (tota Scriptura quadrata) *consistat*. Quantam quoque auctoritatem, quantam prae consonantibus praerogatiuam Hebraei vocalibus tribuant, vel inde patet, quod vocales מלכים i. e. *Reges*, adpellare solent; eam quippe ob causam, quod super consonantes non fecus, ac Rex super seruos & subditos, dominium & ius habent, ita, vt illas pro rei conditione moueant, dirigant, exprimant. Alia etiam vocalium apud Hebraeos sunt encomia, v. g. quando in libro האות רומה לגוף : *Lifjar Chen* scriptum legitur : לוח חן ויהי כיעה לנפש h. e. *Littera similis est corpori : Vocalis autem animae*. Conf. IO. BVXTORFIVS in *Tractatu de Punctorum Antiquitate & Origine Part. I. p. 202. sq.*

§. X.

Hoc modo ex ipsis Hebraeorum testimonio necessitatem vocalium in lingua hebraica generatim patere, opinamur. Quod si vero hanc linguam vt eam, quae in Sacra V. T. Scriptura est originalis, consideramus, vocalium hebraicarum necessitatem eo magis cognoscemus. Supponere hic licebit, quod Theologi latius probant, & ipsum Christi oraculum Io. V. 39. clare satis inculcat, Scripturam sacram, vt medium salutis consequendae, omnibus omnino hominibus

F 2

a DEO

a DEO datam esse. Ex eo autem iam potest inferri, DEVM tale exhibuisse verbum, quod omnes etiam homines legere possent & intelligere. Tantum abest, vt hac adsertione nostra omnes omnino homines ad lectionem textus hebraei ablegemus, vt potius eos, qui tale quid statuerent, in errore versari iudicemus. Hoc interim certo certius est, DEVM Codicem V. T. hebraeum omnibus Israëlitis, sine vlllo aetatis, sexus & ordinis discrimine dedisse, eum in finem, vt modum consequendae salutis, salutarem DEI cognitionem, & fidem, CHRISTI merito nixam, inde hauriant. Dubio etiam caret, Textum V. T. hebraeum ab eis legi atque intelligi debere, qui vel in Academüs sacras litteras docent, vel in officio quodam Ecclesiastico legatione pro CHRISTO funguntur *II. Cor. V. 20.* Quis vero sibi persuadebit, omnes illos, quos iam diximus, linguae hebraicae adeo esse peritos, vt absque vocalium ministerio hanc linguam promte legere & intelligere possint? An vero DEVS, qui non res solum, verum etiam verba Scripturae sacrae inspirauit, *II. Tim. III. 16. I. Cor. II. 13. Matth. X. 19.*, tantummodo doctorum, & in studio linguae hebraicae versatissimorum rationem habuit? Absit, vt ita statuamus. Calculum potius adiicimus verbis IO. BVXTORFII, qui in *Tractatu de Punctorum Antiquitate & Origine Part. I. p. 358. sq.* graphice: *Scriptura sacra, inquit, non solis prudentibus & cordatis legenda est exposita - - - Sed omnibus promiscue, viris, mulieribus, senibus, adolescentibus, doctis & indoctis. Itaque longe probabilius est, infirmiorum hic fuisse habitam*

habitam rationem, & illorum captui adcommodatam fuisse scripturam, non vero firmis duntaxat & robustis. Et si - - prudentibus & cordatis (punctis quippe omissis) fuit lectio diuinanda, quid facere potuerunt non prudentes, non cordati, sed homines simplices & rudes? An etiam credibile est, DEVM verbum suum ita scriptum populo suo exhibere voluisse, vt ubique ipsis fuerit obhaerendum, & de verae lectionis diuinatione cogitandum? vel potius, lectionem fuisse planam, vt aduentus lector etiam de rebus cogitare potuerit? Cui bono & quo consilio scopuli tam infiniti? Quod adinet ad viros eruditos, qui vel in Academiis, Gymnasiis atque scholis sacrarum rerum scientiam profitentur, aut in tradendis linguarum studiis versantur, vel munere ecclesiastico fungentes, sacras conciones ad populum habent, proh dolor! omnino fatendum, ex illorum numero esse paucissimos, qui tantos in lingua hebraea fecerunt profectus, vt textum sacrorum librorum hebraeum, punctis omissis, vbique promte legere & intelligere possint. Nec putandum, esse leuioris momenti negotium, Textum V. T. hebraeum, si punctis destituitur, absque haesitatione in omnibus omnino locis legere ac interpretari. Hoc enim qui praestare valet, in lingua hebraica adeo debet esse exercitatus, vt vel memoria teneat, vel hoc ac illo litterarum consortio viso statim conicere queat, quae singulis adponenda sint puncta, quo in negotio vel exercitissimi frequenter labuntur. Audiamus hic testimonium Viri, in litteratura hebraica longe praestantissimi, IO. BVXTOFII in *Tract. de Punctorum antiquitate & Origine Part. II. Cap. X.*

p. 370. *Nae, qui Iesaiam vel alium Prophetam decies, ac saepius cum punctis legerit, ac legi audierit, ac praesumat, se postea ex libro non punctato eundem emendate & ad mentem punctationis lecturum, eum laurea dignum dicam, si, quod pollicetur, re ipsa praestare queat.*

§. XI.

Nouum quoddam & maxime stringens argumentum pro vocalium in Scriptura V. T. hebraicarum authentia & origine diuina inde petitur, quod textus sacri codicis hebraeus, absentibus vocalibus, nullam in interpretando habeat certitudinem, nec vnum admittat sensum litteralem, sed pro diuersitate interpretum, multiplicem. Et hicce sensus varius eo commodior esset, quo hi interpretes vel benigniori ingenii σοφισμῶν se inuicem superarent, vel vno tempore ad interpretandum essent aptiores, quam altero. Inter Byzantinos Oratores aliquando rogatus Orator, nescio, quis, qualis Byzantii lex esset? sua fisis eloquentia respondisse dicitur: Qualem ego volo. Certe, si textus sacri Codicis hebraeus nullis instructus esset vocalibus, is saepenumero admittendus esset sensus, qui in tanta ingeniorum varietate interpretibus placeret: immo Scriptura hebraica fieret figulina, & instar Protei, in omnes formas mutabilis, ac quorumuis etiam sciorum imperitissimorumque hominum audaciae exposita. Hoc autem de sanctissimo DEI verbo, medio salutis efficacissimo, adserere, extremae esset temeritatis, & impietatis. Quo autem ostendamus, textum V. T. hebraicum non in singulis

singulis tantum vocibus, verum etiam in integris phrasibus varium admittere sensum, si vocales litteris detrahantur, luculenta hac de re exempla ex ipso codice sacro hebraeo adferemus. Viam hac in causa nobis monstrant viri, in litteratura hebraica multo exercitatissimi, variis exemplis commonstrantes, vnam eandemque vocem hebraicam, vocalibus destitutam, multiplicem admittere sensum, si vocales litteris adduntur. Hinc IO. LEVSDENIVS in *Philologo Hebraeo Diff. XIV. §. VII. p. 131.* de voce Hebraeorum שמים varias adducit significationes, si vocales in additione mutantur. Sic enim 1) שמים *coelos*, 2) שמים *ponentes*, 3) שמים *Allia*, 4) שמים *quod ex mari*, 5) שמים *quod aquae*, significant. Et si hanc vocem in duas diuidimus, adhuc plures inde resultabunt significationes. Sic 6) שם ים *Ibi mare*, 7) שם ים *Nomen maris*, 8) שם ים *posuit mare*, 9) שם ים *Desolauit mare*, 10) שם ים *Allium maris*. Eodem modo tres litterae דבר pro ratione additarum vocalium nouem diuersas admittunt significationes. Est enim 1) דבר *verbum*, 2) דבר *pestis*, 3) דבר *oraculum*, 4) דבר *locutus est*, 5) דבר *loquens*, 6) דבר *dictum*, 7) דבר *loqui*, 8) דבר *loquere*, 9) דבר *locutus est*. Hoc modo etiam MATTHIAS WASMVTHVS in *Vindiciis Hebraeae Scripturae Part. I. Cap. I. Sect. IV. Thes. I. §. 2. p. 143.* quaedam huc spectantia adlegauit exempla; v. c. vox לבנה sine punctis posita nihil certi denotat. Quod si vero vocales adiiciuntur, tunc 1) לבנה *lunam*, 2) לבנה *laterem siue pavimentum*

tum, 3) לְבַשָּׁה *ebus*, 4) לְבִנְהָ *populum* arborem denotat. Sic quoque vox יָמִים pro varietate vocalium varios habet significatus. Nam 1) יָמִים *dies & annos*, 2) יָמִים *mulos*, & 3) יָמִים *maria* significat. Adfunt innumera alia, quae in hunc referri possunt censum. Nec est, cur arbitremur, eiusmodi ambiguitatem per contextum facile tolli, aut illis, qui linguae hebraicae sufficientem habent notitiam, non obuenire. Ipsa enim experientia contrarium testatur. Quod si versionem LXX. Interpretum consideramus, mendosa, quam saepe supposuerunt, punctatio & lectio, e qua toties peruersus prodiit sensus, vix dubitare quempiam finit, primos eius auctores codice hebraeo non-punctato vsos fuisse. Interim viros, qui hanc versionem primum adornarunt, linguae hebraicae fuisse peritissimos, ipsi aduersarii fatentur. Adducit IOANNES HENRICVS HOTTINGERVS in *Thesauro Philologico Lib. I. Cap. III. Qu. XV. p. 352.* ingentem locorum numerum, in quibus LXX. Interpretes a vera vocum punctatione aberrarunt. Nos pauca tantum adducemus. Quando *Thren. III. 33.* legitur: לֹא עָנָה סִלְפּוֹ *quia non adsignit ex animo suo* (scilicet DEVS); mutatis tantum punctis (עָנָה pro עָנָה) verti potest, vt LXX. Interpretes transtulerunt, ἔτι οὐκ ἀπεκρίθη ἀπὸ καρδίας αὐτοῦ, *quia non respondit ex animo suo*: (qui sensus plane absonus est & blasphemus.) Sic *Pf. VII. 2.* dum dicitur: וַיִּחַר אַף דְּיְהוָה כָּל-יְמֵי הַיּוֹם *DEVS irascens omni die*, unico mutato puncto (וַיִּחַר pro וַיִּחַר) enascitur sensus plane contra-

contrarius, quem etiam versio LXX. Interpretum exhibet :
 και μη ἐσαγγων ὀργήν καθ' ἑκάστην ἡμέραν, & non irascens omni
 die. Quis quaeso, absentibus vocalibus hic aliquid certi de-
 finire posset? Eodem modo alucinati sunt LXX. Interpretes
 in vertendo dicto *Ies. XXIV. 23.* Verba dicti ita fluunt :
 והחפרה הלבנה וכושפה החמה i. e. *Et erubescet luna & pudesfet*
sol. Quod si in voce ratione ordinis secunda - mutatur in ..,
 adest nomen הלבנה *later*; & si in voce quarta - sub ך trans-
 it in ך ac ex ם punctum Dagesch eliditur, tunc legitur
 החמה *murus*. Hoc modo haec verba (dum radices reliqua-
 rum duarum vocum aliam quoque significationem admittunt)
 ita possunt verti: *Et perfodietur later, & subuertetur murus;*
 qualem versionem etiam LXX. Interpretes nobis sistunt, dum
 hoc dictum ita transtulerunt: και τακήσεται ἡ πάλινθος, και
 πεσείται τὸ τεῖχος. In illustri quoque de Messia vaticinio
Ies. IX. 5. de genuino sensu maxima remaneret dubia, si
 puncta vocalia ab illo abessent. Nam vox המשׁרה *principatus*
 absentibus vocalibus, reddi posset μέτρον, quod & Aquilae
 Versio exhibet, quasi in fonte legeretur המשׁרה *mensura*. Et
 verba: אָבִי עַד שֵׁר שְׁלוֹם *Pater aeternitatis, Princeps pacis,*
 mutata vnica vocali atque littera, verti possent ἄξω εἰρήνην
 ἐπὶ τοῖς ἀρχонтаς, *adducam pacem super Principes*, (quae verba
 in Versione LXX. Interpretum exhibentur): Ac si in textu
 originali legeretur: אָבִי נֹאֵל שֵׁר שְׁלוֹם *Proh DEVM im-*
mortalem! si tanta in palmariis Sacrae Scripturae dictis da-

G

retur

retur ambiguitas, vnde certitudo interpretandi Scripturam sacram expectari posset? Alia hic silentio praetermittimus, hoc tantum monentes, frustra adferere CAPPELLVM, absentibus punctis in locis Scripturae sacrae tantum leuioribus, (ita ille sacram Scripturam conuiciatur) ambiguitatem relinqui; in locis autem grauioris momenti, absentibus licet punctis, certam vbique obtinere significationem.

§. XII.

Iungimus argumentis modo adductis illud, quod ex dicto CHRISTI *Matth. V. 18.* a viris, sacri codicis auctoritatem ea, qua par est, reuerentia aestimantibus, dudum est defunctum, vbi dulcissimus SALVATOR dicit, quod nulla *νεραία* a lege fit peritura. Non ignoramus, LVDOVICVM CAPPELLVM cum adseclis suis per *νεραία* intelligere litterarum apiculos siue cornicula, quae manifesta sint in illis litteris hebraicis, quibus Iudaei describunt volumen legis, quod in Synagogis adferuatur. Cornicula ista ab aliis *קוצים* h. e. *corollae*, ab aliis *ינינים* i. e. *spicula*, ab aliis *קוצים* h. e. *spinae* adpellantur. Vid. LVDOVICI CAPPELLI *Arcanum punctationis reuelatum Lib. II. Cap. XIV. p. m. 771.* Non minus etiam IO. LEVSDENIVS, qui alias contra CAPPELLVM eiusque sequaces antiquitatem & originem diuinam punctorum in V. T. hebraicorum mascule propugnat, in *Philologo Hebraeo Dissert. VIII. §. VII. p. 61.* opinatur, SALVATOREM nostrum ad

ad talia litterarum hebraicarum cornicula respexisse. At enim vero, dum CHRISTVS de lege loquitur, eiusque perpetuitatem pollicetur, quo iure haec promissio ad cornicula, corollas ac spinas quarumdam litterarum hebraicarum adplicari queat, non videmus. Ista enim corollae atque spinae numquam legis particula factae sunt, vt in comparisonem cum Iota venirent, nec illis sublatis legis sensui (ad quem CHRISTVS in primis respicit) aliquid detrahitur. Nostrium proinde calculum adicimus sententiae illorum, qui statuunt, dulcissimum SALVATOREM per *κεφαλαίαν*, quam a τῶ ἰώτα expressè distinguit, puncta vocalium atque accentuum intelligere. Ita ex recentioribus (aliorum consensum vt breuitatis studio non adlegemus) sentiunt ὁ μακαρίτης ALBERTVS IOACHIMVS DE KRACKEVITZ in *Collegio Biblico M.S.C.* ad *Matth. V. 18.* VALENT. ERNESTVS LOESCHERVS de *Causis linguae hebraeae p. 287. sqq.* nec non IOANNES GOTTL. CARPZOVIUS in *Critica Sacra Part. I. Cap. V. Sect. VII. ad §. XI. p. 251.* cuius verba hic transcribere operae pretium esse putamus. Ita vero Vir celeberrimus: *Intemeratam, ait, legis diuinæ puritatem in omne aeuum permansuram, asserturus SALVATOR, eas nominat Scripturae partes, quibus non pereuntibus, ipsa lex non interit, qua scripta. Hae sunt litterae & vocales, quae utraeque ad Scripturae integritatem adeo pertinent, vt saluis illis atque illibatis sua quoque legi scriptae integritas constet, corruptis autem, vel vitium capientibus, ipsa quoque codicis scripti puritas ac auctoritas vacillet. Unde distincte loquitur de vtrisque, &*

G 2

velut

velut litteras, ad omnium usque minutissimam, quae loca est, illibatas conseruandas praedicat, ita pariter neceſſitas, h. e. alteram, & fere principem ſcriptionis partem, vocales nempe, intaminatas adfirmat perſtituras.

§. XIII.

Plura hic non addemus. Ex iis enim, quae in medium iam ſunt prolata, adparere arbitramur, vocales Hebraeorum omnino diuina gaudere origine, & ad verum textus V. T. hebraei ſenſum eruendum ſimpliciter neceſſarias eſſe. Oleum itaque ac operam perdunt, qui probare nituntur, puncta vocalium atque accentuum ex arbitrio humano eſſe profecta, ſiue Maſorethis Tiberienſibus, ſiue aliis inuentionis gloriam tribuant. Liceat nobis verba IO. LIGHTFOOTI cedro digna hic adiicere, quae in *Chronographia* Cap. 81. p. 141. ita fluunt: Sunt, qui punctata biblia ſacra credunt a Sapientibus Tiberienſibus. Ego impudentiam Iudaeorum, qui fabulam inuenerunt, non miror, Chriſtianorum credulitatem miror, qui adplaudunt. Recognosce, quaeso, nomina Tiberienſium a ſita illic primum Academia ad eam exſpirantem: Et quidnam tandem inuenis, niſi genus hominum prae Phariſaismo inſaniens, traditionibus fascinans & fascinatam, coecum, vaſtrum, delirum, ignoscant, ſi dicam, magicum & monſtroſum? Ad opus tam diuinum homines quam ineptos, quam ſolidos! Perlege *Talmud Hieroſolymitanum*, & nota, qualiter illic ſe habeant R. Iuda, R. Chanina, R. Iudan, R. Charja Rabba, R. Charja Barba, R. Ioſhanan, R. Ionathan reliquique inter Tiberienſes grandis-

grandissimi Doctores : quam serio nihil agant , quam pueriliter seriva-
 quanta in ipsorum disputationibus vafrities , spuma , venenum , fu-
 mus , nihil : & si punctata fuisse Biblia in istiusmodi schola credere
 potes , crede & omnia Talmudica . Opus Spiritus S. sapit punctatio
 Bibliorum , non opus hominum perditorum , excoecatorum , amentium .
 Vtrum in his verbis Cel. LIGHTFOOTVS meritis doctorum , in
 Academia Tiberiensi quondam florentium , iustum statuerit
 pretium , an vero hic quaedam nimio tribuenda sint zelo , id
 aliorum relinquemus iudicio . Nos modo haec verba in tan-
 tum nostra facimus , in quantum diuinam Vocalium originem
 egregie adstruunt .

CAPVT III.

DE

ACCENTIBVS HEBRAEORVM.

§. I.

Iam progredimur ad Accentus , in Scriptura V. T. hebrai-
 ca occurrentes . Intelligimus autem accentuum nomine
 signa ista , quae vocalem sonum non habent , sed con-
 iunctionis , diuisionis , toni , morae ac modulationis causa vo-
 cibus hebraicis adiiiciuntur . Iphis Hebraeorum doctoribus
 vocari solent טעמים *gustus* , quoniam haec signa , recte adhi-
 bita , sermonem condiunt , ac sapidum reddunt . In sensu
 secundo adpellantur quoque שירת *cantus* , quia Musicae
 modulationi inseruiunt , & grata verborum flexione ad distin-

G 3

Etiam

Etiam oratoris locutionem faciunt. Vix opus esse arbitramur, ut accentuum contemtores ac ofores hic peculiariter recensamus. Plerumque enim, qui vocalium antiquitatem & diuinam originem negant, accentuum quoque auctoritatem aut authentiam inficiantur. Ad eos itaque iterum prouocamus, quorum nomina in *Capitis II. §. VI.* adlegauimus. Interim tamen non defunt, qui, admissa quamuis vocalium in scriptura V. T. hebraicarum antiquitate, accentus tamen recentioris esse aetatis aperte fatentur. In horum censum referendus est vir, in linguae hebraicae scientia quondam celeberrimus, IO. ANDREAS DANZIVS, in *Litteratore Ebraeo-Chaldaeo*, edit. 1696. p. 58. adfirmans, accentuum hebraicorum aetatem vocalibus ipsorum omnino esse recentiorem. In eam quoque sententiam propendet Dn. LEONHARDVS RECKENBERGERVS in *Disputatiuncula de Diuina Accentuum codicis sacri V. T. origine*, praemissa *doctrinae de Accentibus Hebraeorum*, Ien. 1738. id quod praesertim ex §. XXXVI. p. 25. coll. §§. XIX. XXI. XXII. p. 9. sqq. patet.

§. II.

In primis autem hic duos in aciem producemus, apud quos recentiori aetate accentus Hebraeorum, in Scriptura V. T. hebraica occurrentes, in nullo numero habentur. Alter horum est IO. BRVNSMANNVS, in *Dissertatione de Accentuationis hebraicae Distinctiuae Nouella arte, qua eam, ad Codicis hebraei membra sensumque ubique certo tuto distinguenda, non esse datam*

Datam traditamque demonstratur, quae dissertatio, ceu opus postumum, prodiit Hafniae A. R. S. MDCCVIII. In hocce scripto S. 2. p. 4. expresse negatur, originem accentuum, in Codice V. T. hebraeo occurrentium, a DEO esse. Deinceps vero *Lib. V. Cap. XII. Argum. II. S. 82. p. 175.* BRVNSMANNVS, suae diffidens causae, nihil certi adfirmare audet, ita scribens: *Sed meum non est, definire, punctane omnia & accentus originis sint diuinae, an minus, & per me licebit, ut quisque illam super eo retineat sententiam, quam se solide defendere posse confidit.* Praeterea vero totus in eo est BRVNSMANNVS, ut neget, ex accentibus Hebraeorum cognosci posse, quaenam voces sint coniungendae, quaenam autem distinguendae. Alter, ex osoribus Accentuum hebraicorum hic nobis praesertim memorandus, est IO. CLERICVS, vir caeteroquin doctissimus, qui in *Commentario in Genesin*, & huic additis *Dissertationibus*, nec non in *Arte Critica*, de accentibus hebraicis, in codice V. T. sacro occurrentibus, nimis abiecte sentit atque scribit. Sic vero IO. CLERICVS in *Dissert. II. S. VIII.* *Post omnes*, inquit, *interpretes, accentuum nullam rationem habuimus, sensum tantum & structuram vocum secuti. Non repetemus hic, quae a Viris doctissimis hac de re dicta sunt. Legendum duntaxat Cap. XXIII. Lib. II. Thesauri Buxtorfiani, ubi doctrinam Rabinorum proponit, ut, quod modo de iis dicebamus, pro comperto habeatur, nempe peritiam quamdam abstrusorem a Magistris hic venditam, & spinis data opera rem facilem obseptam.* Eodem animi motu V. C. in *Arte Critica Vol. I. Part. I. Cap. IV. S. 7. p. 39.*

accen-

accentuum hebraicorum pretium extenuare satagit, critica quadam audacia pronuncians: Accentuum nulla plane habenda est ratio, quippe qui sint sine causa inuenti ab hominibus, quibus linguae legitima accentuatio, si ita loqui licet, aequae erat ignota ac nobis, immo, qui ne accentuum quidem naturam norant, quippe, qui ope minus eiusdemque accentus vocalem longam in breuem mutant, & breuem in longam. Idem institutum suum vrget, quando Vol. II. Part. III. Sect. I. Cap. I. §. XI. p. 4. Aliud, inquit, animaduerrere licet in codicibus antiquissimis cum Graecis, tum Latinis, quod & in Ebraeis fuisse ante Masoretharum tempora, nonnulli Iudaei fatentur, voces nimirum nullis interstitiis seiunctas, nec ullis interpunctionibus separatas esse, aut minimum, quamplurimas ita coniunctas, quasi essent una vox. Quo factum, ut non modo falsis interpunctionibus ab hominibus, non satis peritis, corrumpeteretur postea ensus, sed etiam aut syllabae coniungerentur, quas diuelli oportebat, aut contra diuellerentur, quae coniungendae erant. Eamdem canit cantilenam Cap. X. §. 23. p. 69. Locus hic postulat, ut ostenderemus, pro more nostro Hebraica cum Latinis & Graecis coniungendi, antiquissimos Iudaeos caruisse etiam Distinctionibus, ac proinde potuisse Masorethas, qui distinctionum notas inuenerunt, ea in re peccare. Verum hoc ipsum colligere est ex eo, quod ostendimus, **HIERONYMVM** primum in cola & conmata diuissse libros sacros. --- Sed hac de re multis egerunt viri doctissimi, **LVD. CAPPELLVS**, in Arcano Punctuationis & **IOAN. MORINVS**, in Exercitationibus Biblicis, quorum rationibus qui non permouentur, ii Criticae nunquam litauerunt.

S. III.

Multa quidem in his CLERICI verbis quamdam merentur censuram; nos vero, missis aliis, ad tria tantum respondebimus momenta. Primo quidem CLERICVS diferte adferit, se accentuum hebraicorum nullam habuisse rationem, sed sensum tantum atque structuram vocum secutum esse. Tantum autem abest, vt hoc in CLERICO laudem mereatur, vt potius id ipsum ei vitio vertendum sit. Ex eo enim, quod accentus neglexit, saepe verum sensum nec ipse capere, nec cum aliis communicare potuit, sed de constructione incertus, itinere minus prospero ad miserum illud: *Non liquet*; se recipere coactus est. Frustra etiam CLERICVS gloriatur, quod absque accentibus sensum & structuram vocum sit secutus. In multis enim locis nec de sensu, nec de structura vocum hebraicarum certi esse possumus, nisi interpunctio, quae fit per accentus, nobis facem praeferat, id quod infra probabimus. Deinceps CLERICVS etiam conqueritur, Magistros Iudaeorum abstrusorem quamdam peritiam in interpunctione venditasse, & spinis data opera rem facilem obsepisse. Cui adfationi vt aliquam faciat fidem, ad IO. BVXTORFII *Thesaurum Grammaticum Lib. II. Cap. XXIII.* prouocat. Quod si vero caput ex BVXTORFIO citatum p. 582. sqq. legimus atque relegimus, ex ipsa *avrovia* patet, ibi tantum de accentuum hebraicorum numero, diuisione atque vsu praecipui. Hoc quidem non inuiti largimur,

H

CLERI-

CLERICO, viro caeteroquin doctissimo, in doctrina accentuum hebraicorum varias esse tenebras: Id quod Clarissimus IO. FRANCKIVS in *Praefatione, Diacriticae sacrae* praemissa, iuculenter ostendit. Ex istiusmodi autem in hac arte ignorantia Viro celeberrimo non desumenda fuisset occasio, hanc artem contemnendi & exagitandi, sed operae pretium fecisset, si hanc doctrinam, a IO. BVXTORFIO *l. c.* non clare satis traditam, ex aliorum huc spectantibus scriptis penitus imbibere adlaborasset. Tandem etiam CLERICVS ad rationes, a LVDOVICO CAPPELLO & IOANNE MORINO adductas, prouocat, palmamque in hac controuersia ipsis tribuere nullus dubitat. Quod si Cel. CLERICO placuisset, ea, quae a BVXTORFIIS, WASMVTHO & aliis hac in caussa solide scripta sunt, aequa animi lance & remoto partium studio perlustrare, fortassis aliter iudicasset. Tanta profecto est CAPPELLI & eius adsecularum in his sententiis inconstantia, ut non raro, quam in partem se vertant, ignorare videantur. Qui scripta LVD. CAPPELLI debita cum circumspeditione peruolutauit, cognoscet, CAPPELLVM iam miris modis in codicem punctatum debachari, iam vero, ne omnem erga sacras litteras reuerentiam exuisse videatur, vela vertere, & simulare, ac si solam codicis sacri integritatem euperet defensam, scilicet *ὡς λύκος ἀροφιλῶν*. Exemplum inconstantiae Cappellianae exhibet MATTHIAS WASMVTHVS, in *Vindiciis Sacrae Hebraeae Scripturae Part. I. Cap. I. Sect. III. p. 129. sqq.*

§. IV.

S. IV.

Originem accentuum in Scriptura V. T. hebraicorum dum indagare nitimur, ipsos accentus a doctrina, qua praecepta de accentibus Hebraeorum, eorundemque consecutione ac vsu inculcantur, caute discernere debemus. Ipsos quippe accentus, in codice V. T. hebraeo occurrentes, diuina gaudere origine deinceps probabimus. In doctrina autem de accentibus, in quantum illa hodie traditur, varia esse, quae soli Grammaticorum industriae debentur, nemo ignorat. Et, si dicendum, quod res est, experientia, proh dolor! testatur, egregiam hancce doctrinam a plurimis negligi, neglectamque, vt fieri plerumque solet, contemni, exagitari, impugnari. Dudum R. CALONYMVS *Lib. de Accentibus Hebr.* conquestus est, quod DEVS, peccatis Iudaeorum infensus, hanc de accentibus doctrinam inter ipsos perire voluerit. Ex iudicio quodam DEI punitiuo fortassis etiam inter ipsos Christianos haec doctrina a multis, ac si res nullius pretii esset, reiicitur, immo ceu quaedam *ψευδώνυμος γλώσσις*, conuiciis atque scommatibus contaminatur. In Praefatione, quam operi suo, cui titulus: *שלשלת המקרא Catena Scripturae*, CASPAR LEDEBVHRIVS anno 1647. praemisit, orbi erudito gratulari videtur, quod Accentuum Hebraeorum scientiam, ante multa iam saecula extinctam atque sepultam, nostro tempore reuiuiscere voluerit DEVS clementissimus. Nobis vero potius dolendum, post tot praestantissimos in hac arte labo-

MATTHIAE WASMVTHI, AVGVSTI PFEIFFERI, DANIELIS WEIMARI, ANDREAE REINBECKII, IO. HENRICI MICHAELIS, HENRICI BENEDICTI STARCKII, IOANNIS FRANCKII, & aliorum, huic doctrinae a multis tam parum pretii statui, & nihil ferme laboris impendi. Hinc mirum non est, multos dicam scribere Accentibus hebraicis, qui magno cum suo & aliorum fructu iisdem vti possent, si in hac doctrina essent exercitati; hinc tot in hac doctrina adhuc remanent anomaliae & difficultates, quae assiduo scrutinio explicari, ad certas regulas reuocari & magna ex parte tolli possent. Sed his immorari nolumus. Caeterum incrementa & decrementa doctrinae de accentibus Hebraeorum cognoscere cupiens, adeat Cl. Dn. GEORGIVM VENZKY, in Praefatione, quam praemisit libro suo, cui titulus: *die Prosaische Accentuation der Hebräer*, quod scriptum Magdeburgi A. R. S. MDCCXXXIV. in suo. lucem adspexit publicam.

§. V.

De ipsis Hebraeorum accentibus iam nobis erit agendum, & argumentis quibusdam probandum, quod Accentus, in Scriptura V. T. hebraica occurrentes, originem habeant diuinam, & punctis vocalibus non sint recentiores. Arctissimum quemdam nexum inter Hebraeorum vocales atque accentus intercedere, vel ex eo patet, quoniam vocalium hebraicarum ob accentus frequentissima contigit mutatio;
id

id quod Philologi, tantum non omnes, concedunt, & ingens exemplorum copia ostendit. Hinc etiam multi Theologi atque Philologi de vocalibus & accentibus Hebraeorum simul agunt, quando genuinam Punctorum Hebraicorum originem & antiquitatem propugnant. Comp. IOANNES BVXTORFIVS, Filius, in Tractatu de *Punctorum Vocalium & Accentuum Antiquitate & Origine Part. II. Cap. I. sqq. p. 304. sqq.* IOANNES LEVSDENIVS, in *Philologo Hebraeo Dissert. XIV.* quae est de *Genuina Punctorum Vocalium & Accentuum in V. T. Antiquitate p. 120. sqq.* MATTHIAS WASMVTHVS, in *Vindiciis sacrae Hebraeae Scripturae Part. I. Cap. I. sqq. Sect. III. sqq. p. 106. sqq.* & IOANNES GOTTLÖB CARPZOVIVS, in *Critica Sacrae Part. I. Cap. V. Sect. VII. p. 242. sqq.* Nobis vero placuit de Hebraeorum Vocalibus seorsum, & seorsum etiam de Accentibus agere, dum quorundam argumentorum ratio id postulare videtur.

§. VI.

Interim tamen in superiori Capite II. quaedam argumenta in medium sunt prolata, quae pro adstruenda accentuum hebraicorum origine diuina etiam facere possunt. Huc potissimum pertinent 1) testimonia antiquitatis & Synagogae Iudaicae, quae de punctorum authenticitate loquuntur, nec non alia, quae de consensu Iudaeorum adducta sunt §. VII.; 2) Quae de Masoretharum adnotamentis in §. VIII. commentati sumus; 3) Quae in §. XII. ex oraculo CHRISTI *Matth. V.*

18. deprompta sunt. His vero iam addimus, quae Cl. Dn. CHRISTIANVS FRIEDERICVS BAVER occasione dicti *Matth. V. 18.* erudite exhibet in *der Vernünftigen Gewisheit der hebräischen Accentuation Cap. V. §. 18. p. 141. sqq.* Quo autem iam sigillatim (quantum quidem fieri potest) probeamus, accentus, in Scriptura V. T. hebraica exstantes, origine gaudere diuina, & Vocalibus Hebraeorum esse coaeuos, sequentia in censum veniant. Primo quidem vrgemus, textum hebraeum, accentibus destitutum, quamplurimis in locis manere ambiguum, atque incertum, & lectorem in eruyendo sensu relinqui suspensum. Audiamus hic magni nominis Theologum, egregium quondam Academiae Hafnienfis ornamentum, CASP. ERASMVM BROCHMANDVM, qui in *Systemate Theologiae Part. I. Loco de Scriptura Sacra Cap. II. Qu. IX. p. m. 29. sq.* de textu V. T. hebraeo, punctis vocalium atque accentuum destituto, ita pronunciat: *Biblia, quando primitus concinnabantur; punctis plane destituta fuisse, adsertio est, qua impugnatur finis, ob quem DEVS voluit monumenta sacra scripto comprehensa: qui certe non fuit alius, quam ut haberent semper omnes, cuiuscunque demum essent ordinis & aetatis homines, inuariatam normam, quam in religionis & salutis negotio, & expedite, & tuto sequerentur, veluti legere est: Deut. XVII. 18. 19. XXXI. 10. 11. sqq. Esa. VIII. 20. Luc. XVI. 29. Iam vero omnibus, saltem *ἄνευ πᾶσιν* iudicantibus, aestimandum relinquo, an scriptura sacra, punctis vocalibus & accentibus distinguendis destituta, possit esse fidei, vitae nostrae & aeternae salutis obtinendae,*

nendae, facilis & expedita, plana & perspicua norma, quam docti & indocti, senes & iuuenes, citra erroris periculum tuto & expedite sequi queant? Sane textui sacro puncta & accentus distinguentes si subduxeris, neutiquam erit facilis & plana norma, cuius ductum in controuersis religionis decidendis, expedite sequi licebit. Et paucis interiectis ita pergit: Incertitudo textus sacri quanta sit futura, sublatis penitus, ut accentibus distinctiuis, ita vocalibus punctis, notius est, quam ut prolixa opus sit probatione. Quis enim adeo imperitus est linguae sanctae, ut nesciat, quam patentem ambiguis vocibus pandat ianuam, qui Biblia exhibeat, nec accentibus concinne distincta, nec punctis decore signata? Non possumus non hic etiam addere confessionem eorum, qui alias accentus Hebraeorum reiiciunt, siquidem, uti Hebraeis est in pro- uerbio, **הוראת בעל דין כמאה ערים** Confessio aduersarii est instar mille testium. Sic LVDOVICVS CAPPELLVS in Praefatione, Criticae sacrae praemissa, disserit: Ad accentus & puncta vocalia quod adinet, - - - - nemini mirum uideri debet, si veteres Interpretes, qui ante illud Maseretharum inuentum in transferendis sacris libris operam suam collocarunt, variè etiam circa puncta & accentus fuerint, cum alius sic, alius uero aliter legeret, prout unusquisque coniectura ac proprio iudicio adsequi poterat. His uerbis ipse CAPPELLVS concedere debet, textum V. T. hebraeum, absentibus vocalibus atque accentibus, non posse absque ambiguitate legi atque intelligi, sed multa hic ad coniecturas interpretum necessario redire. Sic etiam

BRIA-

BRIANVS WALTONVS , alias interpunctiōni Hebraeorum parum tribuens , in *Prolegom. Bibl.* p. 47. aperte fatetur , Accentus indicare sensum per membra sententiae.

§. VII.

Vt autem ex ipsa Bibliorum praxi ostendamus , certitudinem sensus in textu V. T. hebraico ab Accentibus potissimum pendere , hic adferemus exemplum quoddam. Desumatur illud ex *Eccles. III. 21.* Hocce oraculum diuinum in translatione multis multas peperit difficultates. Versio PAGNINI ita fuit : *Quis scit , an spiritus filiorum hominis adscendat sursum ? & an spiritus inmenti descendat subter terram ?* Eundem ferme sensum gignit versio Megalandri nostri LV-
THERI : *Wer weiß , ob der Odem der Menschen aufwärts fahre , und der Odem des Viehes unterwärts unter die Erde fahre ?* In ipsa quoque huius dicti explicatione nodos inexplicabiles inuenerunt quidam interpretes , quos iam hoc , iam alio modo soluere adlaborarunt . Sed explicationem facilem atque planam ipse indicat accentuum positus . Adponemus accentibus distinctiuis lineolas , vt etiam illi , quibus accentuum potestas & consecutio non satis nota est , iudicare quodammodo queant , vbi maior distinctio locum obtineat .

fineat. Verba in fonte ita fluunt : | מִן יוֹרֵעַ || רִיחַ |
 | בְּנֵי הָאָדָם ||| הָעֵלָה הִיא || לְמַעַלָּה ||| | רִיחַ |
 ||| | הַבְּהֵמָה ||| הַיְרֵרָת הִיא || לְמַסָּה לְאַרְצָ : ||| |

Haec autem verba ex tenore accentuum hanc postulant versionem : *Quis intelligit* (vel; vtinam quis intelligeret) *spiritum filiorum hominis ? qui ascendens est sursum : & spiritum bestiae* (scilicet, quis intelligit?) *qui descendens est infra in terram*, Comp. HENRICI BENEDICTI STARCKII *Notae Selectae Criticae, Philologicae, Exegeticae in Loca dubia & difficiliora V. T. Part. II. p. 197. sq.* & IOANNIS FRANCKII *Systema Ethices divinae, siue, Commentarius Acroamaticus in רבנו קהלה p. 119. sq.* Qui plura dicta, ex accentuum ministerio praesertim explicata, perlustrare cupit, legat DANIELIS WEIMARI *Usum Accentuationis Biblicae*, & Celeberrimi quondam in Academia Ienensi Theologi ac Philologi IO. REINHARDI RVSI *Dissertationem de Accentuationis Hebraicae Usu, Pentade dictorum V. T. commonstrato.* Quemadmodum autem in aliis linguis ex omissione distinctionum multae magnaeque in eruendo vero sensu oriuntur ambiguitates, ita in lingua V. T. hebraea ex omissione accentuum ambiguitates & difficultates enascuntur plurimae ac maximae. Quis nescit, sermonem Latinum evadere ambiguum, si distinctiones non adiaciuntur? Sic verba : *Regem occidere nolite timere bonum est.* pro diversa distinguendi ratione vel hunc sensum admittere possunt : *Regem occidere nolite*

nolite, timere bonum est; vel istum contrarium: Regem occidere nolite timere, bonum est. Quem fugit, in lingua nostra germanica, omissis punctis, commatibus & aliis distinctionum notis parem remanere ambiguitatem? Breuitatis ergo hic tantum prouocamus ad epistolam quamdam, quam DANIEL WEIMARVS in *Vsu Accentuationis Biblicae Sect. I. p. 42. sq.* exhibet. Videlicet Pamphilius quidam leuis animi litteras Glycerio suo curat transferendas, in quibus potiora distinctionum signa sunt omissa. His litteris lectis virgo incerta est, vtrum repulsam ferat, an vero iteratam de futuris nuptiis accipiat promissionem. Deinceps vero iisdem litteris commata, puncta & alia distinctionum signa eo adponuntur modo, vt certam de futuris nuptiis spem adferant. Denique vero eadem litterae, nulla voce mutata aut transposita, ob alium distinctionum adiectarum positum, virgini mutatum Pamphili animi satis produnt, & omnem nuptiarum spem plane adimunt. Non negamus, in litteris istis quaedam occurrere, quae nimis coacte posita sunt; nihilo tamen secus exemplo esse possunt, in nostra quoque vernacula sensum non raro esse maxime ambiguum, si signa distinctionum non adiiciuntur. Talis vero ambiguitas dum aliis linguis ex omissione distinctionum contingit, multo magis in lingua hebraea, omissis accentibus, qui in primis coniunctionum & disiunctionum notae sunt, orietur. Bene Celeberrimi nominis Philologus, HERMANNVS VON DER HARDT in *Dissert. I. de Accentibus* obseruat, in occidentalibus linguis, quibus

silon

bus varii sunt verborum modi, vt *Opratiuus*, *Potentialis*, tot praeterea aduerbia, praepositiones ac interiectiones, longe facilius accentus omitti posse, quam in lingua hebraea; Interim tamen in his, simulac distinctionum signa cessant, peritissimos quoque earundem suspensos saepe teneri, & sensum vix adsequi posse.

§. VIII.

Accentuum in textu V. T. hebraeo antiquitas & origo diuina vel ex eo probari potest, quoniam *Deut. XXXI. 24.* expresse adstruitur, Mosen verba legis scripsisse **עַרְתָּמָם** usque ad integritatem & perfectionem, id quod optime de verborum integritate & perfectione, quae ex vocalium & accentuum additione resultat, intelligi potest. Hinc etiam DEVS grauius prohibuit, ne praeceptis, a se datis, aliquid adderetur aut detraheretur, *Deut. IV. 2.* Nec hic silentio praeterendum esse existimamus oraculum diuinum ex *Cobel. XII.*

10. vbi haec legimus verba: **בְּקֶשׁ קְהֵלָה לְמִצַּח דְּבַר־הַפֶּץ** :

דְּבַר־יִשְׂרָאֵל וְכִתְיֹב i. e. *Quaesuit Ecclesiastes inuenire*

verba beneplaciti (iucunda) & scripta reſtitudo verba veritatis.

Hic certe per *scriptam reſtitudinem* nihil aliud intelligitur, quam istiusmodi scriptura, quae vocalibus & accentibus est instructa, in distinctione a codicibus non punctatis, qui inter Iudaeos isto etiam aeuo dubio procul admodum frequentes fuerunt. Denique etiam locus *Neb. VIII. 8.* nobis notatu est

dignissimus. Verba in fonte huius sunt tenoris : ויקראו
 בספר בתורת האלהים מפרש ושם שכל ורבנו במקרא :

h. e. *Et legerunt in libro, in lege DEI distincte, & proposuerunt sensum & intelligere fecerunt scripturam.* Versio LVThERI ita fuit : Und sie lasen im Gesetz-Buche Gottes klährlich, und verständlich, daß mans verstund, da mans laß. Quae ex hoc oraculo diuino pro accentibus in V. T. hebraicis, eorumdemque auctoritate & antiquitate adferri possunt, nostra quidem sententia bene expressit supra laudatus Dn. CHRISTIANVS FRIDERICVS BAVER in der vernünftigen Gewißheit der Hebräischn Accentuation Cap. V. §. 13. p. 131. sq., cuius verba huc transcribere operae pretium esse videtur. Adducto autem loco *Neh. VIII. 8.* & adiecta versione Lutheri V. C. mentem suam ita explicat : Eigentlich heist es : ויקראו בספר בתורת האלהים und sie lasen in dem Gesetz-Buche des Herrn מפרש als in einem *distincte* abgetheilten und recht *explicite* vor Augen gelegten Buche, da Satz von Satz und Vers von Vers richtig abgetheilte war, שכל ושם und indem sie den Verstand recht setzten, oder die Geschicklichkeit recht hinzu thaten (dieses Erklären die Talmudisten und Rabbinen selber von einer solchen Lesung der Bibel, die nach den Accenten sey eingerichtet gewesen) ורבנו במקרא so verstund man es beim Lesen. Dieser = = Locus aus dem Nehemia wirfft des Cappelli sein ganzes Systema über den Hauffen. Denn wenn er sehet, die heiligen Bücher der Schrift, welche die Juden in ihren Synagogen gebrauchet, wären allezeit ohne die Vocal-Puncte

Puncte gelesen worden, so lehret hier die Schrift ein anders. Zu Nehemiae Zeiten hat man die Schrift nach ihren Abtheilungen und Verstands-Zeichen gelesen, als וְשֵׁר לִבְרִים di-
 stinctum & intellectu adponendo animatum. Der Talmud und die Rabbinen erklären diesen Spruch selber von denen Accenten und Distinctionibus, und ist also des Cappelli Vorgeben auch ganz falsch, als solte der Talmud nirgends der Vocal-Puncte und Accente gedencken.

S. IX.

In confesso etiam est apud Philologos tantum non omnes; quosdam accentus esse causam mutationis ac praesentiae certarum vocalium, quemadmodum diserte adstruunt MATTHIAS WASMVTHVS, in *Hebraismo Restituto* Cap. I. Reg. X. p. 29. sqq. AVGVSTVS PFEIFFERVVS, in *Methodo Hebraea* Part. II. Sect. II. Reg. X. p. 45, nec non HERMANNVS TARNOVIVS, in *Grammatica Hebraeo-Biblica* passim, in primis in doctrina de mutatione vocalium tam Homogenea, quam Heterogenea p. 60. sq. Quod si vero in locis paene innumeris vocales adsunt, quae, si hi vel illi accentus in istis locis non occurrerent, ibidem non exstarent, omnino fatendum, aut accentus vocalibus esse coaeuos, ita, vt istae vocales statim ab initio scriptionis suae tales ibidem exstiterint, aut quibusdam vocalibus deinceps ob accentus additos mutationem accidisse. Posterius vero nulla ratione probari potest; Ergo prius admittendum. Quod si quis autem statuit, accentus

studio mere humano esse inuentos, vt CAPPELLVS cum ad-
 seclis suis opinatur, etiam concedere debet, vocales (quas
 origine diuina gaudere in superiori *Capite II.* docuimus) fere
 innumeras ex arbitrio humano esse mutatas. Hoc vero cum
 integritate Scripturae & puritate fontium conciliari nullo
 modo potest. Bene etiam Vir, in interpunctione sacra multo
 exercitatissimus, IOANNES FRANCKIUS in *Diacriticae sacrae*
Protheoria Th. II. §. IV. p. 42. pronunciat: *Nec potest sacrae*
Scripturae auctoritas consistere, nisi sic statuamus (videlicet accen-
tus in Bibliis sacris hebraeos diuinam habere originem). Si
hoc addi potuit, cur non & alia? Si de parte dubitamus, totum
in dubium vocamus.

§. X.

Vltimo denique loco id etiam perpendendum, accen-
 tum positum ac sequelam esse maxime regularem, totam-
 que interpunctionem miro artificio & incredibili sapientia
 ordinatam. Hinc illi, qui huius doctrinae satis gnari sunt,
 plurimis codicis non punctati locis, si verum modo sensum
 cognitum habent, ex praescripto regularum eosdem possunt
 addere accentus, qui in nostris codicibus punctatis occurrunt,
 vt itaque Cel. Dn. VAL. ERNESTVS LOESCHERVS, de
Causis Linguae Ebraeae Lib. II. Cap. V. §. IX. p. 339. recte iudi-
 cet: *Cum - regulae illae non ex ingenio factae, sed ex concatenatis*
observationibus biblicis constructae sint, cum ubique belle sibi cobaere-
ant, & ad earundem ductum totus codex sacer denuo iisdem plane
 accenti-

accentibus instrui possit, quis crederet, inuentum hoc recentius esse? quis Iudaeis sequioribus, rudibus talium, & praesertim in vero Scripturae sensu passim alucinantibus, diuinum hoc artificium adsignaret? In eandem sententiam pedibus, quod aiunt, iuit IO. CHRIST. WOLFIVS, in Bibliotheca Hebraea Part. II. Lib. III. Cap. II. §. XVIII. p. 493sq. Mihi quidem, inquit, ut caetera taceam, semper incredibile visum est, Iudaeos Post-Talmudicos, siue Tiberienses illi fuerint, siue alii, rudes omnino & a maiorum suorum sapientia mirum quantum remotos, inuentores fuisse accentuum, quorum usus regulis, sibi adeo constantibus, hodie ab eruditis traditur, ut vel ex effectu, seu a posteriori, ut loqui amant, iudicium de rei ipsius praestantia artisque veritate ferri possit. Quae enim hinc anomaliae occurrunt, earum rationem ex rei & contextus circumstantiis reddi posse, ii, qui harum rerum gnari sunt, merito profitentur. Hinc factum est, ut & ipsi Iudaei, qui alias ignorantiam suam in hoc praecipue argumento profitentur, - - - nostratum praeceptiones accentuatorias admiratione excipiant.

§. XI.

Ex his aequi rerum aestimatores, & sacri codicis auctoritatem ea, qua par est, reuerentia, magni facientes iam intelligunt, accentus, in Scriptura V. T. hebraica obuios, ad verum sacri codicis sensum eruendum necessarios esse, adeoque diuina gaudere origine. Praecipua vero, quae in hoc Capite III. exposuimus, breuiter iam repetemus, & denuo inculcabitur verbis IO. FRANCKII, qui in *Diacriticae Sacrae Protheoriae*

cheoria Th. II. §. 3. graphice pronunciat: A DEO & SPIRITVS. est haec scientia, & quidem per immediatam inspirationem, saltem quoad existentiam in libris biblicis, in quibus non litterarum solum, sed etiam punctorum tam vocalium, quam illorum, quae טעמים vocant, diuina origo merito agnoscitur. Cum enim scriptura S. non data sit sine sensu, nec sensus certus detur sine interpunctione - - - aut טעמים pro diuinis agnoscendi, aut S. Scripturam sine certo aut determinato sensu datam esse credendum, quod satis absurdum. Quatenam vel scriptores sacri, vel oraculorum diuinorum interpretes apud Hebraeos in hac causa olim tradiderint, & aliis ceu praecepta fortassis inculcauerint, nos quidem definire non possumus. Hoc interim omnino credimus, viros in V. T. Θεορνεύτους & veteres legis diuinae interpretes de accentuum consecutione atque vsu sufficientem notitiam habuisse & cum aliis communicasse. Sed haec pro scopo nostro iam sufficiant.

Quod reliquum est, Sanctissimo Nomini diuino humilissimas agimus gratias, quod labori nostro sua benedictione adesse voluerit quam clementissime. Faxit summus rerum arbiter, DEVS, vt in posterum etiam omnia conamina nostra ipsius honori litent, & in veritatis emolumentum vergant!

וְעַר אִמֶּן: שֵׁם יְהוָה אֱלֹהֵינוּ כְּבוֹדָךְ לְעוֹלָם

ⲀⲚⲔ (ⲟ) ⲘⲚⲔ

Pag. 18. linea quarta a fine lege *quasdam* pro: *quosdam*.

NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO
PETERSEN,

DISSERTATIONIS HVIVS AVCTORI AC
DEFENSORI DEXTERRIMO,

AMICO ET COGNATO SVO
SVAVISSIMO,

S. & O.

PRAESES.

Non sine insigni animi voluptate cala-
mum arripio, dum diligentiae ac
eruditionis tuae specimen, quod iam
exhibes, mihi iustam praebet occasionem
TIBI coepta tua gratulandi. Per trienni-
um, & quod excurrit, in hac Academia
K
nostra

nostra ad diuinarum rerum intelligentiam
animum adpulisti, ita tamen, vt pectus
Philologiae & Philosophiae scientia bene praeparatum ad studia sublimiora adferres & sanctiora. Hoc fecisti in quotidiano conspectu meo, dum ipsi parietes musea nostra iungunt. *TIBI* autem dum placuit in argumento quodam, ad litteraturam hebraicam spectante, ingenii vires periclitari, auctor *TIBI* exstiti atque suasor, vt de litteris atque punctis in codice sacro hebraicis quaedam commentari institueres. Dudum quidem haec, quam tetigisti, controuersia magno animorum motu agitata est; nihilo tamen fecius post tot classica & receptus partium studia adhuc feruent, & non raro a viris, in orbe erudito celeberrimis, etiam hodie **LVDOVICO CAPPELLO** eiusque
adse-

adseclis palma tribuitur. Hinc hocce the-
ma prae aliis *TIBI* commendavi, vt occa-
sionem haberes ostendendi, ὁρῶ δὲ καὶ τὸ σπουδαῖον *studium*
TIBI curae cordique esse, *TE*que istiusmo-
di hypotheses, quae sacrarum litterarum cer-
titudini, integritati & auctoritati detrahunt,
cane & angue peius fugere. Quo autem ab
hisce primitiis tuis fructus mitiores & ad ma-
turitatem iam perductos aliquando eo melius
discernere queas, multa hic ingenio atque ca-
lamo tuo permisi, quae, si meus fuisset
labor, alio fortassis modo pertractassem.
Interim tamen omnes alieni laboris aesti-
matores non iniqui hoc mecum, vt spero,
fatebuntur, *TE* ea praestitisse, quae a tua
aetate tuisque viribus expectari potuerunt.
Gratulor hoc nomine *ILLVSTRI PA-*
RENTI TVO, fortunarum mearum

K 2

PATRO-

PATRONO SVSPICIENDO, (quem
ceu alterum *PARENTEM* benignissimum
NUMEN mihi indulfit) primum hocce
eruditionis tuae specimen publicum. Gra-
tulator *MATRI TVAE DVLCISSIMAE*
filium, omni doctrinae & virtutis laude mul-
to ornatissimum. Faxit summus rerum ar-
biter, *DEVS*, vt *PARENTES TVI HO-
NORATISSIMI* in posterum etiam ex egre-
giis studiorum tuorum incrementis & ho-
nesto ad virtutem impetu laetitiam perci-
piant perpetuam. Praeterea quoque hoc
mihi est in votis, vt per *TE PETERSENII*
nomen Ecclesiae Orthodoxae & vniuersae
Reipublicae Litterariae reddatur gratum,
immo gratissimum. Ego vero quae *TIBI,
COGNATE SVAVISSIME*, pro-
spera erunt ac honorifica, mihi etiam ex
parte

parte vindicabo , & quemadmodum alias
amicorum omnia solent esse communia,
ita ego quoque tuam felicitatem mihi pro-
prium esse existimabo. Vale. Dab.

RostochI die xv. Iunii A. O. R.

MDCCLXII,



partē vindicabo, & querarū in aliis
amicorum omnia solent esse communia
ita ego quod tuum felicitatem mihi pro-
phiam esse existimo. Vale. Ulp.
Rohschel die xv. Junii A. O. R.
MDCCLII



ad 3



00 A 6287

ULB Halle
002 925 346

3




Resistat

3

Reha ✓

WNT



DIS
TH





Q. D. B. V.
DISSERTATIO CRITICA,
DE
**LITTERIS, VOCALIBVS
ET ACCENTIBVS
IN SCRIPTVRA VETERIS
TESTAMENTI HEBRAICIS,**

QVAM,
FAVENTE NVMINIS AETERNI GRATIA
ET
PRAEVIQ AMPLISSIMAE FACVLTATIS PHILOSOPHICAE CONSENSV,
PRAESIDE
VIRO PLVRIMVM REVERENDO, EXCELLENTISSIMO
ATQVE AMPLISSIMO

**DN. M. PETRO CHRISTIANO
Kämpffer,**

SACRAE THEOLOGIAE CANDIDATO DIGNISSIMO, PRIMAE
PHILOSOPHIAE PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO FAMIGERA-
TISSIMO, AD AEDEM MARIAE DIACONO VIGILAN-
TISSIMO,

PATRONO ET PRAECEPTORE NVMOQVAM NON DEVENERANDO,
IN ALMA VARNO-BALTHICA

A. R. S. MDCCXLII. DIE XX. IVNII

ORDINE CIRCVLARI

HORIS LOCOQVE CONSVETIS

PVBLICO EXAMINI SVBICIT

AVCTOR

ANDREAS CHRISTIANVS Petersen, Rost.
SACRARVM LITTERARVM ET PHILOSOPHIAE CVLTOR,
STANNO ADLERIANO. *h*